



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXX. De Jurisdictione & judicio Episcopali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

Secul. test. gloss. 28. princ. n. 23. seq. Alii hanc reddunt rationem, quam ipse etiam refert Barbosa, testatorem post obitum destitutum esse omni auxilio, & esse personam miserabilissimam: Episcopum autem subvenire debere personis miserabilibus. Quæ omnia vel non cohærent, vel carent fundamento, & superiorum seculorum Episcopis planè fuèrunt ignorata.

VII. Leges tamen Wisigothorum *lib. 2. tit. 5. n. 16.* non minus Episcopo quàm judici loci aliquam largiuntur potestatem circa confirmationem testamentorum minus legitime conditorum. *Quia interdum necessitas ita sepè concurret, ut solemnitas legum liberè adimpleri non possit, idèò, ubi qualitas locorum ita constiterit, ut non inveniuntur testes, per quos juxta legum ordinem unusquisq; suam alliget voluntatem, manu propria scribat ea, quæ ordinare desiderat. -- -- Dies quoq; & annus habeatur in eis evidenter expressus. Deinde toto scripturæ textu conscripto rursus auctor ipse subscribat. Et dum hæc scriptura infra 30. annos ad eum, in cujus nomine facta est, vel ad successores ejus pervenerit, eam Episcopo vel judici infra sex menses non differat presentare. Quam sacerdos idem vel judex allatq; sibimet tribus aliis scripturis, in quibus testatoris subscriptio reperitur, ex earum comprobatione considerent, si certa & evidens scriptura est, quam idem conditor holographa ratione conscripsit: & dum ista prevederint, eadem chartula, quæ offertur, vera nihilominus habeatur. Atq; etiam continuo Sacerdos ipse, vel judex, sive alii testes idonei eandem holographam scripturam suâ denuò subscriptione confirment, & sic voluntas ipsius testatoris plenissimam obtineat firmitatem.*

CAP. XXX.

De Jurisdictione & judicio Episcopali.

I.

Judices olim apud Romanos non omnes habebant jurisdictionem, quippe quod dari sæpè à magistratibus solerent alii, quibus simplex & nuda de causâ cognoscendi potestas data & concessa intelligebatur. Atque idcirco reprehendit prætorem Ulpianus *l. 5. ff. de Re Jud.* quod in edicto jurisdictionis vocabulum minus appositè adhibuisset: *Ait Prætor, CUJUS DE EA RE JURISDICTIO EST. Melius scripsisset, CUJUS DE EA RE NOTIO EST.* Etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis aliâ causâ notionem. Unde idem Ulpianus in describendis judicibus varias eorum à causis constituentibus enumerat species, *l. penult. ff. de Judic.* quando ait: *Qui neque jurisdictioni præest, neque à Principe potestate aliquâ præditus, neque ab eo, qui jus dandorum judicum habet, datus*

datus est, nec ex compromisso sumptus, vel ex aliquâ lege confirmatus est, iudex esse non potuit. Inter omnes tamen istos minimam potestatem habuisse videntur, qui iudices dati, sive pedanei, sive speciales dicebantur. Illi enim nudam habebant de solo facto notionem sive cognitionem, & ex formulâ, quæ ipsis à Prætoribus præscripta erat, quamque ad unguem observare oportebat, controversam dirimebant, neque exequi poterant sententiam à se pronunciatam, sed executio fieri debebat à magistratu, qui iudicem dederat *l. 15. pr. ff. de Re Jud.* idè scil. quia in iudicem datum non transfertur iurisdictio, sed sola ei conceditur facultas cognoscendi & iudicandi, sine iudicati exequendi potestate.

II. Ut verò executioni dari possit sententia, necesse est, ut accedat potestas alia, quæ vim *ἀναγκαστικὴν* contineat, & nervos habeat, quibus coerceri possint refractarii. Hanc potestatem non habent iudices dati, sed illi solum, quibus iurisdictio competit. Potestas enim ista imperium aliquod supponit, quod cohæret iurisdictioni & comparatum est ad eam tuendam atque explicandam. Et hoc imperium mixtum dicitur apud Jctos, idè quod conjunctum sit cum iurisdictione, eique cohæreat inseparabiliter, & in *l. 3. ff. de iurisdict. l. 1. inf. ff. de offic. ej. cui mand.* Hinc adeo fit, ut nulla omnino sit iurisdictio sine modicâ coercitione, *l. fin. §. 1. ff. eod.* nec intelligi aut concipi possit Magistratus sine tali iurisdictione, quæ conjunctam habeat coercendi potestatem. Quo sensu Jurisdictionem suo jure habere dicitur Magistratus *l. 5. ff. de iurisdict.* & ut propriam *l. 4. ff. de offic. ej.* quia scil. officio cohæret, nec avelli ab eo potest, & ipsam Magistratus essentiam constituit.

III. Patet hinc, eum qui jurisdictionem habet, etiam habere notionem & cognitionem, quam vel ipse expedit, vel per alium. Sed qui notionem habet, non propterea etiam habet jurisdictionem. Nec malè propterea à quibusdam definitur iurisdictio, quod sit potestas de causâ cognoscendi iudicandique cum iudicati exequendi potestate conjuncta. Hæc verò executio per modicam coercitionem fieri debet eorum, qui sententiæ aut jussui magistratus non obediunt; & nihil aliud est, quàm imperium, quod se in coercendo & exequendo ostendit. Ex imperio autem quia hæc potestas resultat, necesse est, ut Magistratus aut iudex esse nequeat, nisi publicâ autoritate constituatur, quandoquidem imperium nulli privato, quâ tali, competit. Ut maximè enim privati inter se velint, ut Titius, qui iudex publicâ autoritate constitutus non est, de causâ cognoscat, eorum tamen consensus iudicem illum non facit, nec quod is statuit, rei iudicatæ continet autoritatem, *l. 3. C. de iudic.* Quâ ratione nec arbiter ex compromisso sumptus, in quo inest maximè litigatorum consensus, propriè iudex est, nec quod is dixerit, iudicati vim habebit. Dicitur tamen iudex *l. penult. ff.*

de judic. sed cum adjectione, nempe ex compromisso, & ut sententiam dicat volentibus. Cæterùm revera judex non est, qui non judicat & pronunciat adversus invitos, nec effectum dare potest, quod judicavit, neque per se neque per magistratum. Est ergo is revera judex, in quo publica judicandi auctoritas & potestas est, qui proinde publico, non privato munere fungitur. Quo & refero judicem datum. Quamquam enim, qui dabantur iudices, ex privatorum numero ut plurimum seligebantur; quia tamen illi, qui dabant, publicâ auctoritate muniti erant, etiam illi, qui dabantur, publicum munus suscepisse dicendi sunt, cum judicare munus publicum sit, l. 78. ff. de judic.

IV. Hæc ita ex Romanorum jurisprudentiâ deprompta fundamentum habent in ipsis juris gentium principiis, secundum quæ necesse fuit, ut Magistratûs & iudices potestate publicâ & imperio aliquo armarentur. Quia enim tanta sæpè est hominum improbitas & contumacia, ut etiam iustissimis magistratuum sententiis obedire reculent, vana omninò fuisset omnis iudiciorum institutio, nisi præsto essent talia, sine quibus jurisdictio explicari non possit. Hinc igitur factum, ut de imperio, per quod animadverti solet in facinorosos, portio aliqua decerperetur quasi & jungeretur jurisdictionis, ut Magistratus hæc potestate armatus etiam in causis civilibus potestatem judicandi & jurisdictionem suam defendere, & quæ vi jurisdictionis suæ statuit ac decrevit, executioni mandare possit, cæteraque facere, sine quibus jurisdictio foret elusoria. Quæ omnia juri gentium conformia esse nemo negabit. Cui tamen temperando & ad statum ejusque Reip. applicando jus positivum & civile necesse est ut accedat. Quâ ratione etsi magistratus non sit, nisi qui non habeat modicam coërcitionem, quâ jurisdictionem suam tueatur; necesse tamen non est, ut quisvis magistratus omnes partes mixti imperii, sine quo coërcitio fieri non potest, promiscuè habeat; partem saltem aliquam habere oportet, quæ muneri cuiusque tuendo sufficiat. Atque sic potestatem coërcendi vel amplio rem vel minorem habet Magistratus, prout major ipse est vel minor. Dubium nullum est, Magistratibus competere multæ dicendæ itemque vinculis & verberibus coërcendi potestatem, nec tamen æqualiter omnibus ea concedi debet, quod & Romani observârunt, penes quos *cohibita arctius fuit edictum potestas, statutumq. quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent*, ut refert Tacitus lib. 13. annal.

V. Hæc ita obtinent in Rep. civili, cujus salus consistit in perpetuâ harmoniâ inter imperantem & parentem; quæ verò propter malitiam & contumaciam hominum, aliter conservari non potest, nisi per judicia externa, præter cognitionem & decisionem causæ, quæ sæpè propter refractarios non sufficit, etiam animadversionem & correptionem aut coërcitionem

tionem decernentia & exequentia. Et quia corpus civitatis, quod uni regimini substat, totum externum est, ad salutem eius conservandam ipsa etiam externa tantum disciplina sufficit, quæ sola ad regimen politicum pertinet, ut corpus illud visibile, si non sit revera, appareat saltem aut videatur esse virtute præditum, & imperantis intentioni conforme. Id quidem certum est, voluntatem refractariorum & repugnantium per coercitionem superioris inflecti & ad obedientiam præstandam cogi, atque sic videri in speciem, ac si in voluntatis internæ directionem imperium principis externum sese extenderet; sed enim, si res, ut in se est, consideretur, principaliter id à principe non intenditur, nec intendi potest, ut interna voluntatis ad rem & actum præsentem inflexio penes subditos concurrat. Facere enim non potest, ut per actum elicitem voluntas subditi moveatur ad consentiendum & obedientiam præstandam. Sufficit ei, si iussui pareat, & non resistat amplius. Imò verò, si posset subditus operari externè, sine ullo voluntatis concursu, id quod à principe præceptum est, sufficeret id ad intentionem principis, quippe qui nolentes cogit, non directò, ut velint facere, sed ut faciant vel inviti. Et nihil omninò pertinet ad curam principis, qualiter se habeat voluntas subditi, dummodo conformem is legibus agat vitam. Quanquam enim principis officium sit, ut subditos suos quam maximè virtuosos reddat, & virtus præcipuè in animo consistat; imperium tamen ejus ad ejusmodi actus internos sese non extendit, ut illi cum actibus externis conveniant, atque ut nulla sit inter eos discordia.

VI. Præmittere hæc libuit ideò, ut de judiciis, quæ Ecclesiis adscribi & ut propria tribui solent, sine præconceptis opinionibus sentire liceat. Proximum nunc est, ut videamus primævum Ecclesiæ Christianæ statum, ab ipso capite & Salvatore Christo formatum, utrum perinde ei adaptata fuerit illico ab initio talis jurisdictio, qualis in Rep. civili recepta est, & qualem necessariò recipi in illà oportuit. Sanè, si conditionem & qualitatem subiecti consideres, nihil omninò in illo invenies, quod jurisdictione istà, prout descripta superius fuit, opus esse pervadeat. Est enim Ecclesia nihil aliud quàm cœtus fidelium, qui sub uno capite Christo per verbum & Sacramenta collectus alitur & conservatur per eadem ad æternam salutem. Talis ut sit cœtus ille, nulla necessaria est jurisdictio propriè dicta, nullum necessarium iudicium. Doctrina Evangelii, per quam colligitur & conservatur cœtus ille, vitam æternam pro fine & animam humanam pro materiâ atque subiecto nativo habet, & unice occupata est in internis conscientiarum motibus dirigendis, minimè omnium in manu aut vi externâ adhibendâ. Nullo hîc iudicio opus est, nullo imperio. Qui doctrinam illam exhibent & proponunt, nec domini sunt, nec iudices, sed meri ministri ad hoc constituti, ut de animarum salute & beatitudine spiritali solliciti sint, quâve ra-
tione

tionem dogmata religionis Christianæ spiritualia ad obtinendum istum finem applicare commodè queant. Idque fieri debet non per vim aliquam ἀναγκαστικήν, sed per modum suasionis & admonitionis, cum verbum divinum ex se ipso efficax sit, ut servare possit animas nostras, *Jacob. I, 21.* & sit potentia DEI ad salutem omni credenti, *Rom. I, 16.*

VII. Reipublicæ quidem Ecclesiasticæ frequens hodiè fit mentio, non aliâ tamen ratione, quam quod utrobiq; tum in civitate, tum in Ecclesiâ, cœtus aliquis coierit, iisdem beneficiis communibus fruens, & mutuâ charitate atque benevolentia se complectens. Quam enim Aristoteles *lib. 3. polit. c. 4.* formavit Reip. definitionem, quod nempe sit *πλειως τάξις τῶν πᾶσιν ἀλλων ἀρχῶν, ἢ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων*, cum ad imperium præcipuè respectum habeat, Ecclesiæ convenire nequit. Nec enim ullum ministris Ecclesiæ datum fuit imperium aut potestas judiciaria, quâ pro lubitu veluti è tribunali plectere delinquentes queant. Oeconomi sunt illi mysteriorum divinatorum & dispensatores, quibus DEO placuit uti tanquam causâ ministeriali, *1. Cor. IV, 1.* non sunt iudices cum imperio aliquo in animas, ut illis poenam irrogare queant. Licet enim eorum potestas, dum absolvunt ac retinent peccata, non sit merè declarativa, sed & operatrix, non tamen judiciaria est, sed merè organica. Qualis igitur est cœtus in Ecclesia, talis etiam in eâ intelligi debet Respublica, talis etiam in eâ potestas. At verò in Ecclesiâ, quâ tali, est cœtus merè spiritualis. Nec ergò alia in eâ ministrorum poterit esse potestas, nisi tota spiritualis, quæ proinde etiam merè spirituales effectus producit, & circa spiritualia hominis bona versatur, ut adæquatum suum objectum. Ea bona offerunt ministri, svadent, ut recipiantur, monent, ut à malo desistant homines, ut Christo adhæreant, ut divinum Spiritus S. opus in se perfici patiantur, ut vera & viva Ecclesiæ membra existant. Totum eorum officium ex instructione patet, quâ iussi sunt *Matth. XVI, 19. XVIII, 18. XXVIII, 19.* ligare, solvere peccata, baptizare, docere. Ultra quam instructionem, quia aliàs nullum determinandæ potestatis spiritualis principium datur, huic potestati nihil omnino licet affingere, quod jure d' iño competeret.

VIII. Cum autem verè & propriè dicta Ecclesia Christi tantummodo ex sanctis & credentibus constet, nec ille *dicendus sit esse in Ecclesiâ & ad istam societatem Spiritus pertinere, qui ovis Christi factō corde miscetur*, ut legitur apud Gratianum *c. de illis 24. q. 3.* atque isti, quibus propriè debetur Ecclesiæ DEI titulus atque honos, ad spectum hominum minus expositi sint, ita, ut quæ sint isti sancti atque electi Ecclesiam veram constituentes, nemo quisquam statuere possit, totumque hoc beneficium electionis in piis ac fidelibus aliorum oculis ac sensibus penitus incognitum & incompertum sit, nec adeò Respublica illa, quæ ex cœtu fidelium & Christo credentium

constat, in sensus incurrat, fieri haud potest, ut Respublica ista perinde ut alia civilis tractari & instrui queat. Respublica namque civilis non potest in paucis disiectis aut multitudine dissipatâ & distractâ consistere, sed cœtum & multitudinem visibilem atque unitam requirit; sed Christi Resp. potest consistere in paucis, iisque dispersis, spiritali tamen vinculo fidei & charitatis conjunctis. Quâ ratione igitur poterunt cœtui isti invisibili externa Rerumpublicarum adjumenta applicari? cum ad Remp. istam fidelium spiritualem constituendam nihil omninò faciat jurisdictio cum suo imperio.

IX. Ipse Rex & Dominus, qui Remp. hanc Ecclesiasticam instituit primùm, negavit Remp. hanc sive Regnum suum esse de hoc mundo, *Job. XVIII, 36.* Quod idem est ac si dixisset, Ecclesiam neque territorium, neque jus gladii, carceris aut alterius pœnæ corporalis divinitus habere, nec ejus naturæ esse, cujus sunt cætera regna, alioquin futurum fuisse, ut more aliorum Regum ipse quoque vi armatâ uteretur, & ministri sui externâ aliquâ potestate muniti essent; id verò regno suo, quod merè spirituale esset, non convenire. Cumque scriba aliquis sive lucri causâ, sive ambitione & gloriæ cupiditate distentus, paratum se diceret quaquaversum eum sequendi, certiorum is eum reddidit de statu Reip. suæ, ut subductis calculis apud animum suum statueret, utrum illi se tradere & vellet & posset in magistrum, qui non haberet, ubi caput inclinaret. *Vulpes, ait, foveas habent, & volucres cœli, nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Luc. IX, 58.* Imò verò nec judiciariam quidem potestatem exercere voluit Salvator, ut maxime imploratus esset, ut iudicio familiæ heriscundæ se præfici pateretur. Cum enim *Luc. XII, 13. 14.* non nemo expeteret, ut ad hereditatem dividendam fratrem adigeret, *quis me, inquit, constituit iudicem aut divisorem inter vos?* quasi diceret, Ecclesiam, quæ animas hominum, non terrena bona, haberet pro subjecto, de terrenis possessionibus ac hereditatibus minimè sollicitam esse, nec proinde iudicia formare aut instruere.

X. Quod ita Christus & doctrinâ & exemplo suo introduxit, id Apostoli deinceps suo quoque calculo comprobarunt, postquam magister discessisset. Paulus enim *Philipp. III, 20.* nostrum *πολίτευμα*, h. e. Reip. administrationem aut genus administrandi ait *esse in cœlis*, ne quis secularem sibi aliquam Rempublicam Ecclesiæ propriam imagnetur. Qui ipse etiam *2. Cor. X, 3.* arma, quibus Ecclesia utatur, describit. *In carne, inquit, ambulantes non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia DEO ad destructionem munitiorum.* Manet enim, quod ante dixi, animam, quæ proprium est objectum doctrinæ Evangelicæ, nullo externo moveri principio, neque intellectum iudicio ullo cogi posse in obsequium Christi, ut per ta-

lem coactionem vera constituitur Ecclesia. Nec ergo necesse est, ut Ecclesia suam habeat jurisdictionem cum imperio mixto, quam iudicio aliquo externo in eos exferat, qui vel planè non, vel minus sincerè credunt. Eleganter Bernhardus lib. 1. de consid. ad Eugen. Non monstrabunt puto, inquit, ubi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos iudicandos, sedesse iudicantes non lego. -- Ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter hos accepistis claves regni cælorum: prevaricatores utique exclusuri, non possessores. Quoniam tibi major videtur dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terra, quid fines alienos invaditis?

XI. Nec alia fuit mens vetustiorum Ecclesiæ Doctorum, quotquot jurisdictionis naturam & Ecclesiastici regiminis à Christo instituti qualitatem attentius considerarunt. Huc enim imprimis facit, quod scribit Chrysostomus lib. 2. de Sacerdot. Omnium maxime Christianis non licet vi castigare fontium delicta. Seculi quidem iudices, ubi maleficos sub legum potestatem nacti sunt, multum potestatis jus exercent, & invitos quamvis prohibent ex suo ingenio vivere. At apud nos non cogendo, sed suadendo id agendum est, ut qui ejusmodi sit, melior evadat. Neque enim nobis à legibus ad coercendos peccatores potestatis jus datum est, & si datum maxime esset, locus non esset juris ejus exercendi, cum DEUS coronet non eos, qui necessitate, sed qui voluntate liberà à malo abstinere, quare multo labore opus, ut persuadeantur morbi sponte suâ se præbere sacerdotali curationi. Et mox: Neque enim qui à fide aberrat, vi pertrahi, imò nec metu compelli potest. Ejusdem in epistol. ad Ephef. IV. hæc est sententia: Ad docendos verò homines constituti sumus, non ad imperium, non ad exercitium potestatis. Consiliarios locum obtinemus suadentium, qui consilium dat, de suo dicit, auditorem non cogit, sed liberam ei relinquit electionem circa ea, quæ dicuntur. Sic & Hieronymus in epitaph. Nepotiani: Minus licet Episcopo, quàm Regi. Ille enim nolentibus præest, hic volentibus. Ille terrore subjicit, hic servituti donatur. Propterea Casiodorus lib. 11. in epist. ad Episcopos scribit: Episcopus doceat, ne iudex possit invenire quod puniat.

XII. Utramque potestatem, civilem & Ecclesiasticam, distinctam & separatam esse voluit ipse Christus Matth. XX, 25. dum ait: Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus &c. Ad quæ verba optimè Origenes tract. 12. in Matth. Principes gentium non contenti tantum regere subjectos suos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc. Ne forte qui videntur habere aliquem in Ecclesiâ principa-

tum dominantur fratribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate; spiritualia autem in voluntate, non necessitate; sic & Principes spirituales. Principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore corporali. Agnovit illam distinctionem & diversam utriusque potestatis naturam Nicolaus I. Episcopus Romanus apud Gratianum c. quoniam dist. 10. Christus, inquit, actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque, discrevit propria, -- ut etiam Christiani Imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurfibus &c. Propterea Bernhardus, cum vidisset Eugenium Pontificem cupiditatibus suis nimium indulgere, & dominatum affectare, sic eum alloquitur l. 2. de consid. c. 6. Nec enim tibi ille (Petrus scil.) dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem? audi ipsum: non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum solà humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, & insert: Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, si utrumque similiter habere velis, perdes utrumque.

XIII. Ecclesia igitur, ut fundata est, ex intentione fundatoris & iure divino neque territorium, neque jus gladii, neque jus fori contentiosi, neque proinde jurisdictionem habet, nec possunt ejus pastores spirituales, quàm tales, seu quàm spirituali potestate præditi sunt, refractarios & inobedientes pœnis temporalibus coercere. Competit quidem Episcopis, aut illis, qui ~~reges~~ habent in Ecclesiâ, aut etiam toti Ordini clericorum aliqua circa cultum DEI externum dispositio, qualis fieri solet in assignatione & distinctione officiorum, in constitutione temporis, quo publica sacra celebrari debeant, in descriptione ceremoniarum, quas in quolibet actu & ministerio observare oporteat, & ejusmodi aliis pluribus, quæ externam disciplinam & bonum ordinem concernunt; Ista verò omnia nullam jurisdictionem inferunt, sed directionem tantum aliquam, neque potestatem Ecclesiasticam propriam constituunt, sed ei inserviunt tantum, & ad Laicam etiam potestatem plurima eorum pertinent, quippe cui & ipsi incumbit externam in Ecclesiâ legibus suis tueri disciplinam, eaque quæ ad bonum ordinem faciunt, præscribere.

XIV. Et si verò potestas Ecclesiastica, qualem hætenus consideravimus, non omninò careat stimulo, quo ad frugem reduci possint homines à lege divinâ & bonis moribus deviantes, atque sic in duplices quasi facultates scindi videatur potestas ista, quarum altera in prædicatione verbi &

dispen-

Lllll 2

dispensatione Sacramentorum consistat, altera in emendatione & correctione delinquentium occupata sit, neutra tamen earum ex institutione Christi & primævâ suâ naturâ adjunctam habet jurisdictionem coercitivam. Nec dissimilis enim hæc est illi, quæ Collegiis omni jurisdictione destitutis competit, quorum statuta tantum ex conventionione obligant, quanquam in hoc potior sit potestas Ecclesiastica, quod ei autoritatem impertiat lex divina & institutum Christi. Neque nos movet, quæ de potestate jurisdictionis, ut vocant, Ecclesiæ competente magnificè prædicant Canonistæ. Illam enim si ex origine suâ metiaris, quanta scilicet ab autore Christo concessa fuit, nullam omninò annexam habuit potestatem cogendi externè & violenter. Et in his scilicet primordiis considerare nunc oportet potestatem Ecclesiæ, quatenus ea ab initio concessa fuit, non qualiter nunc se habeat ex beneficio & indulgentiâ Principum, uti deinceps explicabo. Ut taceam jam, in explicandâ potestate jurisdictionis multum inter assertores ejus esse dissensum, quem componere nemo adhuc potuit.

XV. Dirissima omnium atque ultima ex spiritualibus pœnis, quibus licuit uti Ecclesiæ, quâ tali, est excommunicatio, quæ exclusionem à visibili Ecclesiæ cœtu infert, & ex hoc videri potest, coercitionem quandam jurisdictioni civili conformem, continere. Sed profectò pœna ea quantumcunque est, non nisi privativa est, non bonorum temporalium, sed spiritualium & Ecclesiæ propriorum: neque in effectum deduci poterit, nisi suâ sponte pareat excommunicatus metu iræ divinæ. Quod si is ingerat sese iterum de pacto cœtui fidelium, non erit potestatis ecclesiasticæ, quâ talis, adhibitâ externâ violentiâ eum abigere & manu armatâ repellere; sed ad contumaciam coercendam, si necessarium aut opportunum videatur, ad potestatem secularem confugere & magistratûs opem implorare oportebit. Tantum abest, ut pœnas Ecclesiasticas etiam omnium maximas & atrocissimas ad potestatem ἀναγκαστικὴν referre liceat. Et hunc procedendi modum observari voluit Concilium Turonense III. c. 41. *Incestuosi, parricide, homicida multi apud nos heu prob dolor, reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus: quos oportet per secularis potentie disciplinam à tam pravâ consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt revocari. Quorum aliquos jam excommunicavimus. Sed illi hoc parvi pendentes in eisdem perdurant criminibus. Quamobrem vestra decernat mansuetudo, quid de talibus deinceps agendum sit* Quod si maximè sponte paruerit excommunicatus, & abstinerit à cœtu fidelium, non propterea ad frugem redigetur & revocabitur ille; quin persistet magis in statu suo peccaminoso, & callum obducet in malitiâ suâ, ut adeò in pœnis ecclesiasticis, quæ emendationem delinquentium intendere debent, per vim coactivam scopus obtineri nequeat.

XVI. Hinc

XVI. Hincadeò fit, ut inter leges civiles & Ecclesiasticas oppido notabilis existat differentia, eaque non una. Primum enim leges Ecclesiasticæ ad externam disciplinam & bonum ordinem conservandum compositæ non necessitate & metu imperii, sed libero voluntatis consensu, non metu pœnæ alicujus corporalis, sed mutuâ civium charitate, & spontaneâ subjectione nituntur; civiles autem leges gladium, furcam, virgas minantur transgressoribus, & in invitos feruntur. Deinde potestatibus civilibus unice id attendendum est, ut salus publica & totius communitatis incolumitas quocunque modo, quantum fieri potest, conservetur, etsi id fiat cum damno & detrimento atque pernitie singulorum. Facit enim pro imperantibus, quod dixit Plato *de LL. 4. Quod commune est, connectit civitates, quod singulorum, dissipat, quare Et publicè Et privatim utilius est, ut publica magis, quam privata curentur.* At diversa omnia sunt in regimine Ecclesiastico, quippe in quo singulorum incolumitas prævalere debet, ita ut curari non possit universum corpus aliquorum membrorum pernitie & damno, sed ad exemplum primi instituentis nonaginta novem oves relinquendæ sint, ut centesima ad caulas revocari & reduci queat. Tandem etiam modus coercendi, quo adversus contumaces utitur Respublica secularis & Ecclesia, multum discrepat. Princeps enim adulterum aut cædis reum gladio plectit eum in finem ut puniat, ut ex hominum consortio removeat, neque emendationis spem tum attendit; Ecclesia verò per censuras suas non tam exigit pœnam, quam emendationem & morbi curationem, itaque eas decernit, non ut mactet, sed ut pœnitentem ad salutem reducat. Atque inde est, quod decreta potius & *κάνονας* appellare maluerint sua statuta Episcopi, quam νόμους.

XVII. Monendus autem hic est benevolus Lector, loqui nos de potestate Ecclesiasticâ, quâ tali, qualiter ea instituta primum fit ab autore ejus & totius Ecclesiæ, quousque se ista in suâ naturâ primævâ extendat, & quam habeat vim adversus contumaces; nihil verò hactenus dictum fuisse de personis Ecclesiasticis, quippe quæ & spiritali & temporali potestate ex instituto sequioris Ecclesiæ sæpe sunt præditæ. Nec tamen potestates illæ propterea confundendæ sunt. Utraque seorsim subsistit, quamquam non utraque semper seorsim, sed spiritalis quandoque cum adjumento secularis potestatis operetur. Potestas namque Ecclesiastica absolute & in se considerata decernit & imponit pœnam per modum directionis seu præcepti; potestas civilis infligit eandem per modum coercitionis & coactionis. Quod si coercitio talis accesserit ad præceptum Ecclesiasticum, tota ea potestati civili accepta referenda est, neq; ex potestate Ecclesiasticâ, ut ea jure divino data & concessa est, ullo modo derivari potest.

XVIII. Quæ igitur hodiè extant judicia Ecclesiastica longè alia sunt ab illis, quæ antiquitus fuerunt. Jure enim antiquo sublato & abolito, jurisdictionio Episcoporum cœpit esse maxima & transcendens, quæ illis aliquando ex benignâ & liberali Principum concessione atque indulgentiâ, haud rarò per invasionem & violentam usurpationem acquisita fuit. Ea verò in tantam amplitudinem sese extulit tandem, ut nihil omninò contingere in rebus humanis potuerit, quod non affectarent judiciis suis vindicare & submittere Episcopi. Sola cognitio de possessione tribunalibus secularibus relicta est, non quòd istam judiciis suis asserere Pontifices non tentarint, sed quòd Principes semper in hâc re sibi habuerint adversos. Et sic igitur speciale forum atque judicium constitutum est, Episcopale dictum, quod diu quidem ex legibus Imperatoriis jus dixit; postea tamen, cum potestas Ecclesiastica omnem potestatem secularem superare crederetur, & iniquum videretur, ab inferiori potestate leges accipere, speciali deinceps jure & processu adornatum fuit, quod etiamnum sub titulo juris Canonici prostat.

XIX. Meminisse tamen oportet, omnem istam potestatem coactivam, quâ utuntur Episcopi in suis judiciis, partem esse potestatis secularis, & ex hâc veluti delibatam ac decerptam. Ex quo sequitur, judicia Ecclesiastica, ut nunc sunt, Ecclesiasticæ potestatis terminos notissimos excedere, & planè heterogenea esse, non provenientia ex potestate Ecclesiasticâ, aut Ecclesiæ propriâ, sed ex potestate seculari atque politicâ, principibus & magistratibus competente. Agnovit id Jacobus Almainus, Doctor Parisiensis *lib. de dominio nat. civ. & Eccles. in probat. 2. conclus.* dum ait: *De ratione potestatis Laicæ est, posse pœnam civilem infligere, ut sunt mors, exilium, bonorum privatio &c. Sed nullam talem pœnam ex institutione divini infligere potest potestas Ecclesiastica, imò nec incarcerare: ut plerisq; Doctoribus placet; sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, ut puta excommunicationem; reliquæ autem pœnæ, quibus utitur, ex jure positivo sunt.* Et Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in *tr. de potest. Eccles. consid. 4.* Sunt, inquit, qui dicunt pœnam hanc excommunicationis esse ultimam, quam infligere possit potestas Ecclesiastica ex institutione Christi solâ primariâ, sic quod non extenditur ad incarcerationem, nec ut aliquis adjudicetur morti vel flagello corporali, sed facit hoc Ecclesiasticus, dum facit ex concessione Principum. Et qui utroque longè antiquior est Hugo S. Viçtore *tr. de sacram. Ecclesia*, inquit, licet fructum terrenæ possessionis in usum accipiat, potestatem tamen exercendæ justitiæ per ecclesiasticas personas aut judicia secularia exercere non potest; potest tamen ministros habere Laicas personas, per quos jura & judicia ad terrenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum & debitum juris terreni exercentur, sic tamen ut & ipsum quod potestatem habet, à principe terreno se habere cognoscat, & ipsas

ipsas possessiones nunquam ita a regia potestate elongare posse intelligat, quin si ratio postulaverit & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patrocinium: & illi ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium &c.

XX. Hâc ratione Episcopis & reliquis Clericis jurisdictione pollentibus, tanquam subditis & civibus, non ministerii nomine aut virtute, non jure aliquo suo, sed principum voluntate & arbitrio propter bonum publicum utriusque civitatis, politicæ & Ecclesiasticæ, & mutuum earum auxilium, temporalis aliqua dirimendi causas & negocia competit potestas, omnisque eorum administratio & executio externa Principis nomine atque auctoritate suffulta est, cujus tanquam depositi cujusdam rationem ei reddere, ubi & quandoeunque requiruntur, jure subjectionis & dependentiæ tenentur. Ex quo sequitur porro, judicia istiusmodi & iudices ipsos non nisi ex principis voluntate atque consensu constitui debere, cum intersit majestatis civilis, selectos habere eos, qui judiciis præesse debent, quæve in partem regiminis suscipiuntur. Quo ipso corrumpitur decantata illa inter Canonistas judiciorum singularitas, & Clericorum exemptio, quam utramque juri divino suos natales debere, neque ab ullo mortalium mutari posse magnâ cum ἀλαζονείᾳ & proterviâ fingunt.

XXI. Cæterum operæ pretium erit, altius aliquantum rem repetere, & de ortu atque progressu jurisdictionis Episcopalis brevem hic annexere commentarium, ex quo patebit, initio nascentis Ecclesiæ nullam talem fuisset, mox verò Imperatorum vel concessionem vel conniventiam vires accepisse, & tandem ita excrevisse, ut ipsis hodiè Principibus formidabilis existat. Et quidem vivente Salvatore Christo nulla talia in usu erant judicia, quæ jurisdictionem aliquam Ecclesiæ propriam præsupponerent. Christus ipse subiectum se potestati civili professus est, dum tributum solvit. *Matth. XVII. v. 27.* Hanc enim tributi solutionem characterem esse subjectionis Apostolus testis est, *Rom. XIII, 6.* Et porro ad iudicium seculare cum deductus ibique accusatus esset, agnovit constitutam divinitus in se potestatem civilem, cui in illo statu humilitatis per obedientiam ad mortem usque subiectus esse debuit. *Job. XIX, 11.* Neque exceptit de fori incompetentiâ, cum in iudicio seculari iudicaretur & damnaretur.

XXII. Exemplum hoc magistri secutus Apostolus Paulus *Act. XXV. 10. 11.* Cæsari se subiectum agnovit, & ad ejus iudicium provocavit. Cum enim judæorum calumniis vexaretur, & suspectum sibi iudicium istud, in quo causa agebatur, videretur, beneficio juris utendum sibi censuit, & ad utriusque partis superiorem appellavit. *Ad tribunal Cæsaris sto, inquit, ubi oportet me judicari. -- Cæsarem appello.* Ad quem autem quis in causâ suâ appellat, eum pro iudice agnoscit, ejusque iudicio se subiectum profitetur. Si verum est, quod volunt jurisdictionis Ecclesiasticæ archi-

recti;

tecti, Petrum à DEO supremum mundi judicem constitutum, & per eum omnem potestatem Ecclesiasticam in reliquos Apostolos derivatam fuisse, mirum est, Paulum ad Cæsarem potius, quam ad Petrum provocasse. Quem enim Christi non puduit, an putabimus, pudere eum debuisse vicarii ejus, ut fingunt, tam eximiâ potentiâ præditi? Qui stultitiæ probrum in Christo prædicando non est veritus, an ille vereri potuit in provocatione ad eum, quem Christus ipse Ecclesiæ suæ caput esse voluit? Imò verò nihil horum in animo habuit vel Petrus vel Paulus. Sed disertè d. l. Paulus: *ἔμε δὲ κρινεῖσθαι*, ubi me oportet judicari, sive judicium subire, scil. apud Cæsarem, ideo, quod ejus judicio subiectus sit. Subiectus autem non esset, si vera esset exemptio Clericorum, eam juri divino esse acceptam ferendam, quia scil. exemptio ista facta intelligi deberet non solum à potestate Principum Christianorum, sed etiam & multo magis quidem Ethnicorum.

XXIII. Ipso hoc Apostolorum tempore, & posteorum decessum parciores fuerunt Christiani in agitandis litibus, & maximè dederunt operam, ne judicia subirent. Sic enim edocti erant in personâ Apostolorum à Christo suo Magistro *Joh. XIII, 34.* Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut *Ἔ vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Huic præcepto ut obsequium præstarent Christiani Ecclesiæ primitivæ, & præclarum hoc discipulorum Christi *πάροισμα* atque Symbolum inter se conservarent, mutuam, etiam cum bonorum dispendio, alebant charitatem, sibi que subveniebant invicem, si qua carerent re necessariâ. *Multitudinis autem credentium*, verba sunt Lucæ, *act. IV, 32.* *erat cor ἕ anima una, nec quisquam eorum, que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. -- Neque enim quisquam egenus erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum, que vendebant, ἔponebant ante pedes Apostolorum, dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat.* Eaque vivendi consuetudo atque disciplina et si gentilium scommata in se excitaverit, simul tamen admirationi fuit, tantam inter homines reperiri charitatem, à quâ illi alieni profus erant. *Sed ejusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquit, ut invicem se diligant. Ipsi enim invicem oderunt, ἔ, ut pro alterutro mori sint parati. Ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores.* apud Tertullian. *in apologet. c. 39.*

XXIV. Lucianus etiam, insignis ille pietatis omnis ac religionis derisor atque contemptor, dum Christianorum charitatem mutuam perstringere intendit, tali eam elogio ornat, ut non possit extollere magis. In epistolâ enim, quam de morte Peregrini ad Cronium scripsit, talia refert, quæ valde commendatam reddunt Christianorum conversationem. Peregrinus
is Phi.

is Philoſophus fuerat, cujus honorificam etiam mentionem facit A Gellius lib. 12. noct. Attic. cap. 11. Sed cum ad Chriſtianam fidem converſus fuiſſet, popularium ſuorum iras in ſe concitaverat, ſequē eis ut victimam objecerat. Eo igitur nomine, cum in carcerem detrufus fuiſſet, ſummā illum charitate ac liberalitate Chriſtianos proſecutos fuiſſe ait Lucianus, pias mulieres & viduas carceris foribus adſediſſe, viros conſolandi & juvandi gratiā apud eum conveniſſe, legatos etiam ab exteris Chriſtianorum cœtibus veniſſe, ut eum in agnitā fide confirmarent: ſummā id eos alacritate facere ſolitos, quoties aliquid ejuſmodi eveniſſet, neque labori aut bonis parcere, univerſa in egenos prompto animo profundere, mortem contemnere, & ſponte obire, ſe quippe futuros immortales ſperare, & ſic à ſuarum legum latore accepiſſe, unoque eos inter ſe fraternitatis vinculo obſtrictos eſſe: Ubi ſemel à diis gentiliū deſciverint, & ad præſcriptum ejuſ vitam inſtituerint, debitumque ei cultum ac honorem exhibuerint, tum verò ſua omnia propter eum parvi facere, & ſibi Chriſtianiſque reliquis communia dicere. Ecquid verò honorificum magis & Chriſtiano nomini ab hoſte dici potuiſſet decentius? opprobria quæ facit, laudes ſunt, quibus tum temporis valdè ſe commendavit Eccleſia Chriſtiana.

XXV. In tantā fidelium omnium concordia & bonorum communiōne, rariores inter eos fuiſſe lites, & hinc iudicia infrequentia credibile eſt. Præcipuum enim tum temporis omnium, & eorum maximè, qui verbi divini miniſterium ſuſtinebant, erat ſtudioſum & exercitium, ut ſi qua exorta fuiſſet controverſia de re aliqua, in principiis illa ſuis ſuffocaretur, utve ei, qui injuriam paſſus erat, quocunquē modo ſatiſfieret, alteri verò venia daretur. Nec tamen evitari id tam circumſpectè ſemper potuit, ut non exiſterent ſubinde, ut ſunt ingenia hominum, qui iudicio contendere maluerint, & fora gentiliū protervè adierint. Id verò reprehendit Apoſtulus Paulus 1. Cor. VI, 1. ſeq. dum ait: *Audet aliquis veſtrum habens negocium adverſus alterum iudicari apud iniquos* (tales ſcil. futuros propter odium, quod gerebant in Chriſtianam religionem, ſic enim deſcribit infideles) *& non apud ſanctos* (h. e. Chriſtianos, apud quos, ſi omninò litigandum fuerit, rectius & ſine Eccleſiæ dedecore cauſæ cognitio inſtituitur.) --- *Secularia igitur iudicia* (*Βιωτικά κερτήρια* de rebus temporalibus ad vitam pertinentibus) *ſi habueritis, contemptibiles* (*τὰς ἐξ ἄνω γινόμενους*, homines viles, qui in nullā ſunt exiſtimatione) *qui ſunt in Eccleſiā, illos conſtituite ad iudicandum.* *Ad verecundiam veſtram dico: Siccine inter vos non eſt ſapiens quicumque, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum, ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.* Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos &c. Duplex h. l. præceptum continetur. Prius de non litigando omninò, quantum fieri poteſt, eò quod Chriſtiani hoc pro-

M m m m

prium

prium fit, ut patienter ferat, si qua ei illata est injuria, ad exemplum Christi, qui omnes devoravit & malorum hominum perpeffus est injurias atque contumelias. Alterum est, si prorsus sit contendendum & litigiis propter injurias vacandum, ne coram infidelibus id fiat, propterea quod scandalum inde in nomen Christianum oriatur, sed ut potiùs juris controversi causas Christianis fratribus, licet abjecti & nullius nominis atque autoritatis sint, disceptandas atque arbitrario jure componendas permittant. Inde verò rectè conficit Johannes Seldenus *de Synedr. lib. 2. c. 7.* tùm temporis in Ecclesiâ Corinthiacâ nullum fuisse forum è presbyteris seu Viris alicujus autoritatis conflatum, quod jurisdictionem seu judicariam potestatem cum coërcitione exerceret.

XXVI. Fuèrunt eo tempore judicia omnia à gentilibus & ex gentilibus constituta. Et quia juxta Eusebium *lib. 1. hist. Eccles. c. 4.* Christiani nomine nihil aliud significetur, quàm *Vir, qui per Christi cognitionem atque doctrinam modestiâ, justitiâ, tolerantia, fortitudine, cultusque unius, qui super omnia est, DEI professione ornatus est*, gravi & perenni Ecclesiæ opprobrio & ad omnium convicia expositum apud gentiles videbatur, si quis inter Christianos nominis sui oblitus, & à virtute propriâ desciscens, rixari & judicio contendere maluisset, quàm de jure suo tantillum remittere. Intererat Ecclesiæ, sua tegi & occultari vitia, quibus à membris suis quandoque contaminaretur, nec prostitui ea gentilium ludibrio, ut adeò satius sit, à villissimis & omni autoritate destitutis ejusdem Ecclesiæ membris causas controversas judicari, quàm in gentilium foro, ut maximè competens fuerit, experiri. Et hoc vult Apostolus in præsentis rerum statu. Nec tamen, qui ita in socios suos & ejusdem Ecclesiæ consortes compromittunt, judices eos faciunt, *l. 3. C. de jurisdic. omn. jud.* quippe qui, ut supra dixi, publicâ autoritate, quam non habent privati, constitui debent; sed nec jurisdictionem tribuunt, quanquam sint, qui jurisdictionem aliquam conventionalem statuunt, quos merito reprehendit Sig. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 2. n. 11.* *Tota igitur eorum potestas privata est, ut de causâ controversâ cognoscant, & quid de eâ sentiant, *ἴνδικον* suam interponant.* Et tales in jure nostro pro qualitate compromissi vel arbitri vel arbitrato, res dicuntur. Spem tamen habet Apostolus fore, ut tale arbitrium propter sinceritatem & bonam fidem judicantium ab utrâque parte non minus ac sententia in judicio lata recipiatur, eique obedientia præstetur, etsi arbitri ipsi exequi illud minimè queant.

XXVII. Et hæc quidem, si circa τὰ Βιωτικά controversia exorta esset, obtinebant. In delictis autem observabatur processus à Christo præscriptus *Matth. XVIII, 15. seq.* ita ut si corrigi non posset delinquens, excluderetur tandem & absunderetur à corpore Ecclesiæ & cæta fidelium.

Et

Et poterant hi procedendi modi qualitercunque comparari iudiciis legitimis: Alter quidem, qui circa *τὰ βιωτικά* versabatur, iudiciis civilibus; alter vero, qui circa delicta occupatus erat, iudiciis criminalibus. Neutrubi tamen vel iurisdictio, vel imperium aliquod præsto fuit, sed utrobique liberum erat damnatis, parere arbitrio aut decreto, & non parere, nisi quod gravior expectanda esset excommunicatis pœna à divino iudicio, propterea, quod Christus in actu traditionis clavium promississet discipulis, etiam in caelis ligatum fore, quod in terris illi ligaverint. *Summum enim futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegatur.* Verba sunt Tertulliani in apolog. c. 39. Idcirco ægrè admodum Ecclesiam ejusmodi excommunicationem decrevisse, idque cum faciendum esset, habitum lugentium sumpsisse, colligitur ex 1. Cor. V, 2.

XXVIII. Duravit iste in causis civilibus per arbitros procedendi modus sine dubio tamdiu, quoad iudices inter ipsos Christianos autoritate publicâ constituti fuerunt. Interea verò ministerium Ecclesiasticum augebatur indies, auctis scil. ubique fidelibus, ad quorum curam (spiritualem illud maximè necessarium erat, ita ut integra Collegia ex illis, qui curam hanc sustinebant, conficerentur. Tum verò inter ipsos quoque ut ordo servaretur, & ut esset aliquis, qui res expediendas dirigeret, quique suffragia cæterorum colligeret, ut ex consensu plurium causam decideret, maximè vilum fuit pertinere ad Ecclesiæ salutem externam. Et hâc ratione cœperunt presbyteria, integra illa scil. ministrorum Ecclesiæ collegia, quæ sub directione unius, cæteros vel ætate vel prudentiâ antecedentis, consistebant. Cumque ex gentilium ipsorum sententiâ iudicem boni & innocenti viri officio fungi oporteat, l. 4. §. 1. ff. *fam. ercisc.* ministros autem Ecclesiæ sanctitatis vitæ & morum integritas, atque bona fides præ cæteris commendaret, factum inde, ut in eos, & maximè in Episcopum, penes quem sinceritas & animi rectitudo exuberare credebatur, compromitterent penè omnes, quotquot controversiam aliquam inter se haberent. Tantumque operabatur illa de tali arbitramento concepta fiducia, ut illi haud invitus, qui succumbebat, pareret, cum non nisi quod justum esset, expectari ab eo posse crederetur. Atque sic sensim invaluit, ut ab Episcopo tantum peteretur causæ controversæ decisio.

XXIX. Is verò non circumspicere tantum, præsertim si delictis quæstio esset, procedebat, sed plerumque etiam alios veluti adseffores, quandoque etiam de plebe nonnullos in consilium & deliberationem adscisciebat, ut eo rectius iudicari de proposita quæstione posset. Habebant scil. præceptum ab ipso Paulo Apostolo 1. Tim. V, 19. datum: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Quia enim

corripiendi potestatem habebant presbyteri, odia hominum atque hinc calumnias facile concitare poterant, ut adeo non facile credendum sit accusatori, nisi duobus aut tribus testibus instructo. Cognitio autem ipsa qualiter institui contveverit, eleganter tradit Cyprianus *epist.* 38. in qua excusat se, quod solus rem controversam decidere non fuerit ausus: *Defideratis quoque, inquit, ut de Philumeno & Fortunato hypodiaconis & Favorino acolytho, qui medio tempore recesserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur, rescribam. Cui rei non potui me solum judicem dare, cum multi adhuc de clero absentes sint, nec locum suum vel sero putaverunt, & haec singulorum tractanda sit & limanda plenius ratio non tantum cum collegis meis, sed & cum plebe ipsa universa &c.* Sic idem *epist.* 17. *Quae res cum omnium nostrum consilium & sententiam expectet, praedjudicare ego, & solus mihi rem communem vindicare non audeo, & ideo stetur interim epistolis, quas ad vos proximè feceram, quarum exemplum Collegis quoque multis jam misi. Qui rescripserunt placere sibi, quod statuiamus, nec ab eo recedendum esse, donec pace nobis à Domino reddita in unum convenire & singulorum causas examinare possimus.* Monito huic insistentes Moses & Maximus presbyteri, Nicostratus & Rufinus Diaconi alique confessores concludunt: *non oportere grande delictum, nisi, ut ipse scripserat Cyprianus, caute, moderate tractari consultis omnibus Episcopis, presbyteris, diaconibus & ipsi stantibus Laicis.*

XXX. Dubium non est, non clericos tantum, sed Laicos etiam quoscunque isti cognitioni se submisisse, & in eo, quod pluribus visum fuisset, libentes acquievisse. Oritur enim haec obedientia ex spontanea ista subjectione & vinculo, quod inter Episcopum & populum tantoperè commendat Ignatius *in epistolis suis* passim. Ista tamen iudicii qualiscunque idea & repraesentatio neque corporalis, ut ita loquar, erat, neque quicquam cum magistratuum civili potestate vel imperio, & jure gladii, forensibusque iudiciis commune habebat. Magistratibus atque praesidibus potestatem suam, suos carceres, poenas, multas, animadversiones illa relinquebat, neque intendebant tum temporis Ecclesiae Christianae praepositi, ut civiles & Ecclesiasticae functiones, quae toto caelo inter se differunt, & discernendae omnino sunt, ullo modo aut confunderentur, aut conjungerentur. Fortè tamen hinc, quod viderent in omnibus causis controversis maximos minimos ad se tanquam ad sacram anchoram confugere, multa eos ambitio quamplurimos incescit, ut sibi plus saepe sumerent, quam competeret revera, utve jurisdictionis quoddam quasi simulacrum affectarent aliquando. Est enim affectus iste tenerimus & facile obrepit etiam sanctè viventibus, nec multum differt à superbià spirituali, quam frequenter solere infestare illos, qui maxime sibi videntur perfecti, optime scripsit Johannes Casianus *lib.* 12.

XXXI. Non

XXXI. Non poterat verò alia melior inter Christianos lites componendi ratio inveniri, præsertim cum in volentes semper sententia ferretur, & qualitercunque ea cecidisset, utraque pars ei parere prompta esset; nisi deinceps ipsorum Episcoporum à sanctitate pristinâ valdè degenerantium vitia hanc etiam iudicandi provinciam contaminassent. Sanè seculo jam tum tertio cœpisse Episcopos ad illam, quam postea consecuti sunt, magnitudinem & pompam adspirare, primumque tum ad eam gradum fecisse ex iis adparet, quæ Origenes de sui ævi Episcopis non semel dicit, *tales esse quosdam memorans, ut etiam malorum Principum mundi excedere superbiam videantur, eos non solum querere sicut Reges, acies præcedentes, & terribiles se atq; accessu difficiles maxime pauperibus exhibere, & tales esse ad eos, à quibus propter aliquid deprecantibus interpellabantur, sicut nec tyranni, & esse crudeliores principibus mundialibus ad subiectos.* Et est, inquit, videre in quibusdam Ecclesiis præcipuè civitatum maximarum, principes populi Christiani, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad se permittentes. Et mox: Episcopi autem quidam crudeliter criminantur, aliquando quidem occasione peccati, aliquando autem contemntes pauperum curam. Vid. eund. tract. 31. & 32. in *Mattheum*. Pari modo Cyprianus ejusdem ævi vitia tum in aliis Christianis, tum maxime in Episcopis lib. de *Lapsis*, hunc in modum perstringit: *Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum secularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe desertâ, per alienas provincias oberrantes, negociationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesiâ fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos infidiosæ fraudibus rapere, usuris multiplicantibus scænus augere &c.*

XXXII. Qui Pauli Samosatani mores describunt Episcopi in Synodo Antiochiæ congregati, apud Eusebium lib. 7. *histor. cap. 30.* inter alia, hæc de eo referunt: *Cum antea pauper ac mendicus esset, nec ullas omninò facultates aut à parentibus reliquas accepisset, aut artis ullius exercitio sibi comparasset, nunc ad incredibilem opulentiam pervenit, per scelera ac sacrilegia fratrumq; concussiones: dum injuriâ affectos deceptis, promittens quidem sese illis acceptâ mercede operaturum, fallens autem ipsos & ex facilitate litigantium, qui ut negotio liberentur quidvis dari parati sunt, lucrum inaniter captans, & pietatem quæstum esse existimans. Neque quod fastu & arrogantia supra modum elatus seculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari quàm Episcopus mavult: per forum magnificè incedens: epistolas legens ac dictans inter ambulandum palam ac publicè: stipatusq; maximâ hominum multitudine, partim præeuntium, partim subsequantium: adeo ut ex illius fastu & arrogantia incredibilis invidia odiumq; multorum adversus fidem nostram constat sit. Neq; item attinet examinare ambitiosam hominis vanitatem in Ecclesiasticis conventibus, quam omni studio consecratur: nihil aliud, quàm inanem gloriam captans, & pompam affectans, atq; bujusmodi artibus*

bus animos imperitorum perterrefaciens. Nam Tribunal & sublimem thronum non ut Christi discipulus sibi ipse construxit: Secretum perinde ac seculares magistratus, ita appellatum habuit. Ad hec femur manu percutere, & tribunal pedibus pulsare solitus &c. Quæ verba apertè probant, non cathedram tantum habuisse in Ecclesiâ Paulum Episcopum, quod etiam reliquis omnibus solenne erat, eam tamen haud paulo altiore more consveto; sed etiam tribunal, & Secretum, sive secretarium, quod proprium erat Magistratum & majorum judicum: Ita enim dicebatur locus, in quo confidebat iudex ad controversias seu lites audiendas. Ejus fit mentio in l. 3. C. ubi Senatores l. 13. C. de testib. l. 16. C. de accusat. & in Codice Theodosiano l. 1. l. 2. de off. Reç. prov. l. fin. de denunciat. l. 5. & 7. de proximis, itemque in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ can. 97.

XXXIII. Talia ausum fuisse Episcopum eo tempore, quo persecutionibus Imperatorum valdè pressa fuit Ecclesia Christiana, vix credi posset, nisi id attestarentur tam insignia rerum gestarum monumenta. Sedem ille Antiochenam occupaverat anno Christi CCLXII, remotus verò inde anno CCLXXII. Interea temporis summa Imperii fuerat penes Valerianum, Gallienum, Claudium, & Aurelianum, qui omnes, etsi aliquando per exiguum aliquod tempus infestum in Ecclesiam animum deponerent, & à tyrannide suâ nonnihil remitterent, graviore tamen mox persecutione eam affligebant. Et ille tamen Paulus nihil veritus diram istam tempestatem ad intolerabilem superbiam inflavit animum, & supra humanum intumuit modum, ut etiam ad mores seculi suam adornaret vivendi conditionem, suamque tribunal haberet proprium, omninò ad imitationem secularium judiciorum extructum. Cumque depravatis insuper & admodum corruptis moribus in dominatum aliquem inclinantibus præditus esset, expectari vix potuit ex judicio ejus Episcopali sana aliqua & justitiæ conformis sententia.

XXXIV. Hunc in modum sese habebant tum temporis Episcoporum fora, si quidem ita appellare liceat, cum paulo post Constantinus primus Christianorum Imperator rerum potiretur. Is verò simulatque ad Christianam fidem conversus fuisset, plenam tranquillitatem Ecclesiæ præstitit, eique non splendorem tantum externum, sed etiam insignem autoritatem contulit. Curavit in primis, ut Reip. administrandæ & judiciis regendis & provinciarum gubernationi præficerentur Magistratus, qui & viri boni essent, & verâ pietate imbuti. Cumque olim leges latæ essent, ut Christiani ab omnibus publicis honoribus arcerentur, Reip. verò ii demum præficerentur, qui eorum hostes erant, quicumque illi tandem essent, nam & Judæi admittebantur, leges istas antiquandas & prorsus abolendas putavit. Christianis verò universim omnibus pacem & privilegia dedit, eorumque religionem

gionem, quam ex signo crucis sibi apparentis, & impetratâ inde victoriâ amplexus fuerat, diligenter coluit, & ut ab omnibus reverenter haberetur, feverissimè mandavit. Abrogatis ac dirutis deastrorum gentilium delubris, ædes sacras passim ad cultum unius veri DEI publicis sumptibus erigi, & à Domino Dominicas appellari voluit. Ecclesias liberaliter dotavit, & Episcopos ubique magno honore dignatus est.

XXXV. Sæpè verò mihi in mentem venit, difficile admodum fuisse Constantino Religioni Christianæ adhærere, propterea, quod jam ante inter Christianos non plebejos tantùm, sed ipsos etiam illos, qui sacris præfecti erant, quoties propter cessantes persecutiones erigere animos & respirare paulùm à metu cædis liceret, multo cum scandalo contendere & certatim alter alteri obstrepere haud fuerint veriti. Eusebius sanè *lib. 8. hist. c. 1.* Diocletianæ persecutionis, quæ paulo ante, quàm Constantinus imperium suscepisset, exarserat, originem inde accesfit, quod *ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essent, quod alter alteri invidere atq; obrectare cœpisset, quod inter se quasi bella intestina gererent, verbis tanquam armis quibusdam bastisq; se mutuo vulnerantes, quod antistites adversus antistites, populi in populos collisi jurgia ac tumultus agitent* -- -- quod pastores spretâ religionis regulâ mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud, quàm jurgia, minas, emulationem, odia ac mutuas inimicitias amplificare studentes: principatum quasi tyrannidem quandam contentissimè sibi vindicantes &c. Quin & inter ipsos martyres gliscere cœperunt sæpè numero similtates, ambitio, invidia, calumniæ, & id genus alia Christiano homini minus convenientia vitia. Meminit enim Cyprianus *epist. 40.* hoc sibi accidisse, ut cum prolapsis Apostatis receptionem sui per martyrum literas postulantibus, sine significatione seriæ pœnitentiæ aditum ad Ecclesiam concedere noluisse, ipsi martyres ex impatientia repulsæ, de factione adversus Episcopum communicarint. Ita scil. martyres etiam vexabat superbia & præsumptio. Quò eodem pertinet, quod studio vanæ gloriæ temerè nonnulli ad martyrium properarent, quâ de re extat Tiberiani Palæstinæ primæ Præfidis ad Trajanum Imperatorem relatio, adeò ut eâ de recantum oportuerit inter ipsos Christianos, ne quis sese ultrò persecutoribus offerret, secus nomen ipsius in Catalogum Martyrum non relatum iri. Vid. Clemens Alexandr. *l. 4. Strom.*

XXXVI. Poterant hæc videri talia, quæ Christianam religionem scèdè prostituerent, quæve inducere potuissent Constantinum, ut vel planè non amplecteretur eandem, nisi speciali DEI gratiâ adjutus fuisset, vel illi eò desereret. Accedebant Donati & Arii hæreses, quæ sub ejus imperio sese exterebant primùm, quæque mox latè venena sua effundebant. Quantas utraque turbas dederit in Ecclesiâ, dicere in compendio non licet. Utriusque tum Donati tum Arii sectatores nonnulli suis hilce ducibus longè dete-

deteriores fuerunt, magisque præfracti, quippe qui incalcescente, ut fieri solet, contentione eò progressi sunt tandem, ut ipsius etiam Arii spem atque expectationem superarint. Longa est historia utriusque hæreseos, multaque institutæ disputationes, sed quæ parum profecerunt apud earum defensores. In his altercationibus & Christianorum inter se dissensionibus, & talibus quidem, quæ ipsam totius Christianæ religionis summam concernebant, quem animum fuisse putabimus Constantino tum neophyto? præsertim, cum vidisset, ex nobilissimarum Ecclesiarum, quæ Alexandria & Carthagine erant, sinu & gremio ad eas ipsas evertendas & earum Deum oppugnandum profiluisse istos hæresiarchas.

XXXVII. Iple tamen Constantinus per DEI gratiam in principiis fidei & fundamentis Religionis Christianæ ita illicò confirmatus fuit, ut de Episcoporum disidiis hoc tantùm judicaret, scandalum ex istis nasciturum illis, qui alieni essent à Christianâ fide, tacitè subinuenus, sibi ista minimè esse offendiculo. *Unde fit, inquit, in epist. ad Cbrestum Syracusanorum Episcopum apud Euseb. lib. 10. cap. 5. ut & ipsi quos concordia ac fraterno inter se animo esse decuerat, turpi seu potius detestandâ secessione dissideant, & iis hominibus, qui à sanctissimâ religione alieno sunt animo, subsannandi occasio præbeat.* Et in oratione, quâ Patres in Concilio Nicæno congregatos excepit apud Theodoretum lib. 1. cap. 7. acerbum & grave esse ait, hostibus profugatis, ipsos Episcopos se mutuo impetere & voluptatem ac ridendi materiam adversariis suppeditare. Et in illâ, quam recitat Autor de vitâ illius lib. 3. c. 12. ait: *nec malignus demon aliâ viâ ac ratione divinam legem maledictis ac calumniis exponat. Quippe intestina seditio Ecclesiæ DEI mihi quidem omni bello & concertatione gravior ac periculosior videtur: nec externæ res tantum animo meo dolorem afferunt, quantum hæc negocia.* Ad eundem modum Episcopos ex istâ Synodo discessuros gravi oratione admonuit, ut rationem haberent mutux concordix, ne fortè dum ipsi inter se seditiones agitent, iis, qui divinâ legem maledictis incessere parati essent, ridendi præberetur occasio, apud eund. d. 1. c. 21. Quâ eâdem oratione haud obscure innuit, cognitos sibi esse fontem & fomitem discordiæ Episcoporum, invidiam scil. potissimùm, quæ conciperetur ex eo, si quis inter ipsos sapientiæ & facundiæ laude floreret. Quæ omnia singularem divinæ gratiæ præsentiam in animo Constantini sufficienter ostendunt, absque quâ si fuisset, facile potuisset ille propter periculosas istas in ipsis fidei principiis dissensiones aliorum inflecti, & in præcipua errorum prosterni.

XXXVIII. Postquam verò ita per Constantinum Imp. non tuta tantùm, sed & honorata facta fuisset professio Christianorum, jurisdictionis etiam potestas ab illo in quoscunque collata fuit Episcopis, si quidem profanorum iudicum cognitionem declinarent ipsi, constitutumque porro, ut quod

quod Episcopi iudicassent, id robur & auctoritatem sententiæ omnem ut habeat. Firma quoque & immutabilia esse voluit, quæ in maioribus Ecclesiæ comitiis sancirentur: insuper, quæ ab Hierarchis iudicio decisa forent, ea ut à civili magistratu, militarique ipsius manu executioni mandarentur. Si enim de eiusmodi legibus loquitur, qui ipsius vitam descripsit *lib. 4. c. 27.* Episcoporum sententias, quæ in Conciliis promulgatæ essent, auctoritate suâ confirmavit, aded ut provinciarum Rectoribus non liceret Episcoporum decreta rescindere. Cuius enim iudici præferendos esse Sacerdotes DEI. Et Sozomenus *lib. 1. cap. 9.* Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum iudicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent: eorum autem sententia rata esset, aliorumque iudicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset: utq; res ab Episcopis iudicatas rectores provinciarum eorumque officiales executioni mandarent: Postremò ut Conciliorum decreta firma & inconcussa essent.

XXXIX. Non ignota erant Constantino Clericorum vitia, quibus suam indentidem conspurcabant vitam, quibusque affectibus illi sæpè obnoxii essent; nihilominus tamen tantam de illis spem conceperat, fore, ut iudicia eorum sinceritate & iustitiâ alia omnia essent superatura, præsertim cum exploratum illi jam esset, quantum in fraudibus, dolis & versutiis hominum detegendis posset religio, quam nunquam non injiceret præsentia Episcopi. Sic igitur factum, ut auctoritate publicâ niterentur deinceps Episcoporum iudicia, & hoc modo forum haberent ad quasvis controversias examinandas valde opportunum. Cumque antea arbitrorum tantum partes sustinerent, nunc quoque iudicum propriè dictorum personas gerere poterant. Si tamen dicendum quod res est, nuda tantum illis videtur notio aut cognitio causæ commissa, nulla simul data iurisdictio, quippe quam supra dixi sine modicâ coërcitione consistere non posse. Voluit autem Constantinus, ut res ab Episcopis iudicatæ per magistratus civiles & eorum officiales executioni mandarentur. Et hætenus ferè nihil differunt ab iis iudicibus, qui in iure civili pedanei dicuntur, nisi quod non perinde ut illi ad certam aliquam præscriptam formulam adstricti fuerunt.

XL. Circumfertur aliàs satis prolixa Constantini Constitutio iurisdictioni Episcopali magnam & exsuperantem auctoritatem conferens, quâ permissum fuit cuiusvis litiganti, etiam lite coram seculari iudice jam pendente, quicumque esset causæ status, alterâ parte licet obluçtante, Episcopum sibi iudicem deposcere, & ad ejus cognitionem provocare, & tùm causam necessariò avocari ad novum istud iudicium debuisse, ut maximè totum negocium apud secularem iudicem jam peroratum fuerit, imò et si jam cœperit promi sententia. Istam constitutionem etiam edidit Jacobus Sirmundus in *append. Cod. Theodos. leg. 1.* Sed Jacobus Gothofredus eam Codici suo Theodosiano, ut extravagantem addidit, & tùm ex collatione

Nnnnn

cum

eum aliis constitutionibus Imperialibus, tùm verò in primis ex phraseologia, & variis dicendi formulis ut spuriam & *ἰσοβολίαν* au profus rejicit, eamq; sequiore ævo à falsario quodam miscellione è variis centonibus confutam ostendit.

XLI. Ingrati verò sunt admodum, & in Constantini benignitatem injurii, qui ei & successoribus omnem de personis Ecclesiasticis judicandi potestatem competere ideò negant, quod ipse ita de se testatus fuerit, seque talibus controversiis decidendis immiscere noluerit. Eam in rem adducunt, quod refertur, multos aliquando Episcopos in Concilio Nicæno libellos ei aliorum Episcoporum accusationes continentes obtulisse, illum verò in præsentia totius Concilii omnes istos clausos nec lectos in ignem conjecisse, additâ hæc epierisi: *DEUS constituit vos Sacerdotes. Vos à nemine judicari potestis, quia solius DEI judicio reservamini, dii etenim vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus judicari.* Refert Gratianus *c. continua* & *c. sacerdotibus 11. q. 1.* itemque *c. futuram 12. q. 1.* At verò cum se alibi profiteatur Constantinus inquisiturum in refractarios Episcopos eosdem de sedibus dejecturum, & in exilium missurum, uti tales comminationes occurrunt apud Theodoret. *lib. 1. c. 16. 18. & 19.* quomodo ille non habeat potestatem in eos? Quid igitur audire noluerit accusantes Episcopos, id temporis rationi adscribendum erat. Tam contentiosas enim, & tam acerbas infectiones, imminente præsertim Ario & securè svaviterque hæc pugnans spectante, magnum aliquod posse dare malum intelligebat. Quid faceret ergo? Videt non esse tempus talium disceptationum, præfens etiam periculum videt. Libellos itaque illos plenos hostilium criminationum ad se delatos exurit, & ut potius, quod instabat, ageretur, negat eorum se judicem fore. Prudentiæ hoc fuit specimen singulare, quod nascentem ignem maluerit in principiis suis suffocare, quàm hosti ridendi materiam exhibere. Neque ex eo, quod libellus à judice rejicitur, inferri potest defectus potestatis. Et quod judicari eos ab hominibus non posse pronuntiavit, hyperbolen quandam sapit, eò tendentem, ut ipsi potiùs inter se conciliandi modos inveniant, quàm ut ab aliis expectent. Nec verò, quod ita ipse modestè declinavit & sponte ab jure suo recessit, vertendum id est in ejus injuriam. Eaque propter ad istud Constantini dictum optime respondit Carolus Calvus Imp. *in epist. ad Johannem VIII. Papam*, quam in supplement. Concil. Gall. p. 287. edidit Petrus de la lande: *In quâ tamen sententiâ, pie Domine sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reverentiâ impensa. Ante eum quippe pagani in Rep. principes fuerunt, qui verum DEUM nescientes deos ligneos & lapides colebant, & tamen eorum Sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri DEI Sacerdotes dignetur honorare &c.*

XLII. Cæterum in Episcopalibus istiusmodi iudiciis à Constantino ita formatis utrum ea, quam speravit Imperator, semper obtinuerit rectitudo & sinceritas, & num bonâ fide Episcopi in iudicando munus suum semper expleverint, affirmare universaliter vix licebit. Et quis verò mihi tam sanctum inter homines inveniet ullum, qui non affectibus aliquando succumbat, quive non transfilire lineas quandoque soleat. Certè nihilo meliores post Concilium Nicænum factos fuisse Episcopos, fidem faciunt ea, quæ de Audianæ hæreseos origine refert Epiphanius *heres. 70.* Fuit, inquit, *Audeus in Mesopotamiâ oriundus, clarus in patriâ suâ propter sinceritatem vite & Zeli erga DEUM, & fidei, qui sæpè conspicatus ea, quæ in Ecclesiis sunt, in faciem Episcoporum & presbyterorum se talibus opponebat, ac ipsos redarguebat, dicens: Non oportet hæc sic fieri, vel ea sic peragi: vel ut Vir veritatis studiosus, quales esse solent ora virorum, qui pietatis sunt studiosi; & vitam maximè exactam vivunt: quapropter talia videns, velut dixi in Ecclesiis loqui cogebatur ac consutare, & non tacebat. Si enim aliquem videbat pecuniæ studiosum ex clero, aut Episcopum aut presbyterum, aut alium quendam ex regulâ, omninò loquebatur: & si videbat aliquem in voluptatibus & delitiis viventem aut aliquem adulterantem Ecclesiasticam predicationem & Ecclesie statuta, non ferebat Vir hic, sed verbis, velut dixi, reprehendebat &c.* Tales cum adhuc tùm fuerint nonnulli Episcopi, quanta in eorum iudiciis integritas sperari potuerit, cuius colligere licet.

XLIII. Postquam ita forum Ecclesiasticum autoritate publicâ & Imperiali constitutum fuit, proxima cura successit, ubi ipsorum Episcoporum causæ, si quando reorum partes sustineant, disceptari debeant. Et fuerat quidem etiam in Concilio Nicæno *can. 5.* hæc de re aliquod factum decretum, sed quod ad excommunicationis negocium restrictum fuit. Plenior post Constantini mortem à filio Constantio anno CCCLV. prodiit constitutio, quæ habetur in *l. 12. C. Theod. de Episc.* *Manu verudinis nostræ lege prohibemus, in iudiciis Episcopos accusari, ne dum ad futura, ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam desert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut opportuna & commoda cunctorum questionibus audientia commode- tur.* Indefinitè & indistinctè loquitur Imperator de quibuscunque Episcoporum causis. Sed eam ita generaliter accipi non debere, sed de levibus tantùm, Ecclesiasticisque delictis, non etiam de accusationibus criminalibus intelligendam esse, variis ex conjecturis docet Jacobus Gothofredus *in commentar.* aut certè subdolam eam, atque in gratiam Arianorum, quibus ipse favit, promulgatam fuisse putat. Quicquid hujus sit cum difficile admodum sit conjecturis inniti, quippe quæ ex lubrico læpè prodeunt argumentum, illud certum est, temporariam eam & illius imperii moribus adaptatam

Nnnn 2

fuisse,

fuisse, uti ex sequentibus patebit. Inde tamen conficitur, quia textus ille de Episcopis tantum loquitur, & speciali privilegio illis conceditur, ne possint coram aliis, quam Episcopis accusari, extendi id non debere ad presbyteros, sed posse hos coram aliis iudicibus accusari, quandoquidem casus exceptus confirmat regulam in casibus non exceptis.

XLIV. Sanè nondum præterlapsi erant integri anni septem, cum idem Constantius anno CCCXLVIII. in causâ Stephani Antiochenæ Ecclesiæ Episcopi iudicium in palatio suo haberi voluit. Crimen, cuius ille reus dicebatur, tam atrox visum fuit, ut ejus cognitioni Synodus Episcoporum sufficere haud crederetur, quod quæstionibus locus esse posset. Integram historiam refert Theodoretus *lib. 1. cap. 9. & 10.* ex quâ notatu hic digna sunt verba sequentia: *Præcipue verò Magister militum vociferabatur, orans ut de tam nefario facinore non in synodali confesso, sed publico iudicio Imperator juberet inquiri. Ipse Episcoporum clericos traditurum se primos spondebat, ut de illis quæstio haberetur; sed Stephani quoque ministros idem pati oportere. Porro cum Stephanus impudenter obliuaretur, & Clericos tormentis subdendos non esse diceret, placuit Imperatori & proceribus, ut intus in palatio iudicium exerceretur. -- His cognitis, iudices natu minimum eorum, qui comprehensi fuerant, induci iusserunt. Qui vim ac necessitatem verberum non expectans compositam facinoris scenam detexit. -- Ita cum improbitatem Stephani didicissent, præsentibus tunc Episcopis manderunt, ut eum deponerent, & Ecclesiâ eum expulerunt. Totum iudicium formatum fuit ex proceribus & præsentibus ibi Episcopis, & quidem autoritate Imperatoriâ in ipso Imperatoris palatio. Quæq; tum placuit sententia, Episcoporum executioni mandata fuit. Non ergo credibile est, Constantium postea suam ita mutasse sententiam, ut etiam in atrocissimis delictis, præsertim si per quæstiones res indaganda esset, Episcopos ab iudiciis suis vellet eximere.*

XLV. Adderem hic Valentis Imperatoris constitutionem à Triboniano in *l. 1. C. de episcop. aud.* relaram, quippe quæ faceret ad explanationem rerum, quæ ad iudicia Episcoporum trahi potuerint; nisi alienam planè eam & ab rubricâ ejus tituli longè diversam, *ex l. 5. C. Theodos. de lustral. collat.* jam dudum observassent eruditi. Hâc tamen suâ translatione & interpolatione occasionem Commentatoribus præbuit Tribonianus, ut communiter statuerent, ad officium Episcopi pertinere pretium definire in rebus, quæ sunt ad victum quotidianum necessariæ, & quod Episcopus possit & debeat cavere, ne mercatores cariori pretio distrahant merces, additâ ratione, quia ex hoc omnes lædantur, & præcipue pauperes, quorum cura ad Episcopos maximè pertineat. Franc. Cardinal. Mantica *Lucubrat. Vatican. lib. 4. tit. 20. n. 23. seq.* Quandoquidem autem illa circa *nâ Bionnâ* inspectio & rerum promercalium æstimatio rectius Magistratibus civili-

bus

bus relinquatur, Ecclesiasticis autem personis ferè dedecori est, nolumus curam istam in Episcopos devolvere, aut à Valente in eos devolutam statuere.

XLVI. Dixi, Episcoporum causas ab alijs Episcopis examinari & decidi debere, idque fieri solebat in Synodis provincialibus, uti vocantur, quibus scilicet congregabantur unius provinciæ Episcopi. Sed quid si reus acquiescere isto iudicio nollet, an & quousque ei appellatio permitti debuit? Debit utique, sed ne in infinitum extenderetur & in corruptelam verteretur istud beneficium, à Valentiniano Imperatore anno CCCLXIX. talis edita est constitutio l. 20. C. *Tb. quor. app. non recip.* Quoniam Chronopius ex Antisite idem fuit in tuo, qui fuerat in septuaginta Episcoporum ante iudicio, & eam sententiam provocatione suspendit, à qua non oportuit provocare, argentariam multam, quam huiusmodi facto sanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hoc autem non fisco nostro volumus accedere, sed his qui indigent, fideliter erogari. Quod in hac causâ & cæteris Ecclesiasticis fiat. Constitutionem hanc interpretatur Baronius Cardinalis ad ann. CCCLXIX. n. 40. de casu, quando Episcopus condemnatus ad secularè tribunal appellat, & sanctionem generalem, cuius fit mentio, accipit de eâ, quâ vetitum fuisset, ne clerici coram secularibus iudicibus causam dicerent. At verò, etsi in verbis constitutionis facti species non satis perspicuè contineatur, non obscure tamen id videtur supponi, ab iudicio septuaginta Episcoporum provocatum fuisse à Chronopio ad iudicium sive præfecti Urbis sive præfecti prætorio, (de inscriptione enim num rectè se habeat, dubitari adhuc potest,) & ab hoc porro ad iudicium aliud superius, & hanc secundam provocationem multâ argentariâ dignam esse. Per sanctionem autem generalem rectè intelligit Jacobus Gothofredus in comment. ejusdem Valentiniani duas constitutiones anteriores, quæ extant in l. 15. & 16. C. eod. Inde verò colligitur à sententiâ synodali episcopum condemnatum provocare potuisse ad iudicium seculare.

XLVII. Clericos enim eâ ætate non omninò fuisse exemptos jurisdictione seculari, patet ex ejusdem Valentiniani anno mox sequente CCCLXX. editâ constitutione, in l. 20. C. *Tb. de Episcop.* quâ frenum iniecit exercensenti Clericorum & Monachorum cupiditati hereditates viduarum & pupillorum captantium. *Ecclesiastici, inquit, aut ex Ecclesiasticis & qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant, sed publicis exterminentur judiciis, si posthac eos ad fines earum vel propinqui putaverint deferendos &c.* Publica iudicia hic sunt secularia, per quæ coerceri vult Imperator hereditas istos Ecclesiasticos. Idque ideò factum puto, quod diffideret iudicijs Ecclesiasticis avaritiam suorum foventibus magis, quam punientibus. Hæc enim lege non obstante, fraudibus
Nnnn 3 adhuc



adhuc eam circumveniri queritur Hieronymus *epist. 2. ad Nepotianum*: *Provida, inquit, severaq; legis cautio: Et tamen nec sic refrenatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus: Et quasi majora sint Imperatorum scita, quam Christi, leges timemus Et Evangelia contemnimus Et c.*

XLVIII. Quia verò jam inde à Constantini Magni imperio Clerici forum suum privilegiatum apud Episcopos habuerunt, nec tamen propterea, in criminalibus præsertim causis, exempti prorsus fuerunt à judiciis secularibus, ne qua deinceps, quod fieri facile poterat, fieret confusio, inter ipsas causas distinctionem per legem publicam fieri oportuit, quam propterea edidit Gratianus Imperator anno CCCLXXVI. in l. 23. C. *Tb. de episcop.* Verba hæc sunt: *Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt: ut si qua sunt, ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis, ad religionis observantiam pertinentia, locis suis Et à suæ dioceseos Synodis audiantur: exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisq; iudicibus aut illustribus potestatibus audientia constituit.* Primùm causas civiles separat à causis Ecclesiasticis, & in causis civilibus nihil mutat, sed morem hæctenus usitatum relinquit, ut ita Clerici perinde atque Laici in talibus causis apud iudicem secularem conveniri possint, nisi utraque pars in Episcopum secundum Constantini legem ex compromisso consentiat. Causas Ecclesiasticas ait versari vel circa religionem & dogmata fidei, vel circa levia quædam delicta ipsum Ordinem & disciplinam Ecclesiasticam concernentia, atque sic personis Ecclesiasticis propria. De utrisque cognosci & judicari vult vel ab Episcopo, vel à Synodo pro re natâ, & prout gravitas causæ exigit. Tandem verò agit etiam de criminibus & delictis communibus, quorum cognitionem itidem iudicibus secularibus, iisdemque vel ordinariis vel extraordinariis relinquit.

XLIX. Aliud ejusdem Gratiani rescriptum ex bibliothecâ Vaticanâ primùm edidit Card. Baronius *ad ann. CCCXXCI. n. 2.* idemque ex bibliothecâ Regiâ recensuit Jacobus Sirmondus *post appendicem Codicis Theodosiani*, quo in causâ Damasi & Ursicini constituerit Imperator, ut *quicumque iudicio Damasi cum consilio quinque vel septem Episcoporum condemnatus fuerit, si ab Ecclesiâ suâ recedere noluerit, aut à magistratu seculari ad Episcopale iudicium remittatur, ut ad urbem Romanam perveniat, aut si in remotioribus partibus fuerit, ut examini Metropolitanæ subjiciatur, vel si ipse Metropolitanus sit, ut Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus iudices dederit, sine dilatione contendat, ut ve illi, cui vel metropolitanæ Episcopi vel cujuscunque sacerdotis persona fuerit suspecta ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum liceat provocare Et c.* Speciale hoc esse rescriptum, & ad solum Damasi atque Ursicini schisma accommodatum, ipse prodit verborum contextus. *Nec est tamen tale, quo cum velis in tenebris micare, quando-*

quidem ipsa statim inscriptio, ut fatetur Sirmondus, subsistere ita, ut jacet, vix potest. Nec etsi mutetur, & Aquilinus ille, non vicarius Ordinariorum, sed Vicarius Urbis fuisse statuatur, id tamen ante omnia aliunde probari debet, quandoquidem anno hoc CCCXXCI. quo rescriptum istud exaratum statuit Baronius, nulla ullibi Aquilini, ut præfecti Urbis, fit mentio, sed vel Antidii in l. 6. C. Th. de indulgent. crim. vel Potiti, in l. 2. C. Th. unde vi. De ipsâ constitutionis sententiâ & verborum structurâ nihil addo. In epistolâ tamen præcedente Concilii Romani ad Gratianum, quam idem recensuit Sirmondus, notatu maximè dignum hoc est, quod Pontifex Rom. haud recusa- verit iudicium Imperatoris subire. *Accipite aliud quoque, ajunt, quod Vir sanctus vestre magis conferre pietati, quam sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam persecutus est &c.* Hodiè verò vix erit quisquam Pontificum, qui tale iudicium pati in se velit.

L. Eodem anno CCCXXCI. celebratum fuit Constantinopoli Concilium primum, quod aliàs Oecumenicum secundum dici consuevit. In cujus canone sexto, quatenus Episcopi accusari possint, prolixè disponitur. Summa hæc est, non debere accusationes adversus Episcopos promiscuè admitti, sed attendendam esse tum personam accusatoris, tum & causam, propter quam accusatio instituitur, tum denique iudicium ipsum, ubi accusatio intentari debeat. Quod personam concernit, statuerunt Patres, quemvis hominem sive bonæ sit existimationis, sive infamis, fidelis aut infidelis privatam causam h. e. pecuniariam adversus Episcopum habentem admitti, & cum eo in iudicio convenienti litigare posse, uti commentatur Theod. Balsamon. Iudicium autem istud conveniens quodnam erit? Sine dubio nullum aliud, quam iudicium seculare, uti dixi supra ex l. 23. C. Th. de Episcop. nisi ex compromisso alius aliquis iudex electus fuerit. Hoc tamen non nisi in privatis causis locum habet, hoc est, quæ pecuniariâ demum æstimatione litis absolvuntur, uti definit Joh. Zonaras in comment. Ab illis distinguuntur criminales causæ, quas Zonaras ait esse, quando quis vitæ statum damnatus amittit. Agit autem canon de criminibus Ecclesiasticis, quorum reus fertur Episcopus, talibus scil. quæ ordinem & disciplinam Ecclesiasticam concernunt, quæque personis Ecclesiasticis propria sunt. De his statuit synodus, antequam accusatio admittatur, considerandam esse personam accusatoris, & admittendos quidem alios omnes, præter hæreticos, schismaticos, ab Ecclesiâ eiectiones & excommunicatos, itemque eos, qui & ipsi in reatu & ab aliis accusati sunt, nisi se ab objectis criminibus purgaverint. Cæterum, si nullus talis in accusatore defectus inveniatur, accusa-

tionem

tionem instituendam esse in Synodo provinciali, aut si ea minus sufficiens fuerit, in synodo totius diœceseos majore, & ita quidem, ut accusator se scripto ad talionis pœnam obliget, si succubuerit, quod inscribere vocant juris civilis Doctores. Eos verò, qui neglectâ hâc accusandi ratione vel Imperatorem propter Ecclesiasticum tale delictum fatigaverint, vel secularium magistratum tribunalia adierint, vel Synodum Oecumenicam imploraverint, eos ad accusationem omninò non esse admittendos. Hâc verò suâ prohibitione non derogant potestati Imperatoriæ, non magis certè, quam potestati Synodi Oecumenicæ, sed in gratiam ipsius Imperatoris ita statuunt, ne quis ausit βασιλικὰς ἐνοχλεῖν αἰκίας, Regias fatigare aures, ne Imperatoris auditorium per Episcoporum causas fastidia sentiat. Nec sanè statuere quicquam in præjudicium Imperatoris potuissent, nisi ipse ille, cujus & jussu convocati fuerant, quod disertè ait Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 7. Theodoret. lib. 5. cap. 7. consensu decreta ista confirmasset. Id enim petierant Episcopi in epistolâ Synodali à Theodosio Imp. Rogamus igitur tuam clementiam, ut per literas tuæ pietatis ratum esse jubeas, confirmesque Concilii decretum: Sicuti literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es: ita etiam summam eorum, quæ decreta sunt, conclusionem sententiâ atque sigillo tuo corroboras. Cæterum si Imperator Episcoporum causas apud se & in auditorio suo ventilari voluisset, nemo tùm resistere potuisset, quemadmodum & ea, quæ communia Episcoporum crimina concernunt, tùm temporis secularibus judiciis dijudicanda manserunt.

LI. Distinctio ista inter causas pecuniarias sive χρηματικὰς & ecclesiasticas, quæ religionem & delicta Ecclesiastica concernunt, denique alias in quibus criminalia & ἐγκληματικὰ examinantur, hoc seculo valde frequens fuit, eò quod forum privilegiatum Clericis ab Imperatoribus concessum, omnes eorum promiscuè causas sibi vindicare haud potuerit, sed plurimas illarum foro seculari relinquere oportuerit. Eandem enim distinctionem inculcat Constitutio Theodosii, quam recenset Sirmondus in append. Cod. Theod. sub num. 3. sine Consule tamen. Eam verò ante annum CCCXXCV. editam vult Joh. Seldenus de Synedr. lib. 1. c. 10. & sub ipso illo anno num. 31. refert Card. Baronius. Continuâ lege sancimus, nomen Episcoporum vel eorum, qui Ecclesie necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahatur. Habent illi judices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus: quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi. Quibuscumque igitur mota fuerit questio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo giudice litigare, qui presul est in suis partibus omnium sacerdotum, id est per Aegypti diœcesin. Quare laudabilis auctoritas tua, arbitrio temperata, quicquid

nepo-

negociorum aliunde incidet, terminabit &c. Non movebo constitutioni hanc
 quæstionem statûs, quippe quæ jam tum satis examinata fuit à Jacobo Go-
 thofredo in *extravagante 3.* uti appellat, ad *Cod. Theodos.* Quisquis enim
 autor ejus fuerit, probè is observavit distinctionem causarum adversus Ec-
 clesiasticas personas competentium, quasque pro qualitate suâ vel apud
 Episcopos, vel apud iudicem secularem intentare oportuit. Idque discrimen
 protervè admodum sustulit Gratianus, dum corrupta & truncata re-
 fert ejus constitutionis verba *c. continua 11. q. 1.*

LII. Anno deinceps CCCXCVII. in Concilio Carthaginensi III.
 quod tamen ex Baronii & aliorum sententiâ rectiùs secundum dicitur,
can. 9. qui in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ decimus quintus est, pla-
 cuit, ut quisquis Episcoporum, presbyterorum & diaconorum seu clericorum, cum
 in Ecclesiâ ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota: si relicto
 Ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso prolata
 fuerit sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione, in civili verò
 perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit &c. Refertur à Gratiano
c. placuit 11. q. 1. sed cum additamento, quod sine dubio à glossatore aliquo
 ad marginem adscriptum fuit. Græci Interpretes accipiunt hunc cano-
 nem prorsus generaliter, & constituunt Episcopum in omnibus promiscuè
 clericorum causis iudicem, qui declinari sine poenâ nequeat. Sic enim
 commentatur Zonaras: *In omnium qui sacris initiati sunt, quin & in monacho-
 rum controversiis, ejus cui subjecti sunt Episcopi propria causa cognitio est. Sive
 igitur aliquis horum deferatur, sive deferat conclericum coram ipsius Episcopo, sive
 rei capitalis, seu civilis, aut pecuniaria questio sit, rem transigi oportet &c.* At
 verò rectè observat Christophorus Justellus in not. per hunc canonem coër-
 ceri Clericorum levitatem, & procacitatem, qui post causam in Ecclesiâ
 tractari cœptam spretis & relictis iudicibus Ecclesiasticis seculari se arbi-
 trio iudicioque committunt. Non licuit adeò deferere vadimonium, post-
 quam semel in iudicio Ecclesiastico causa inter partes agitata fuit. Pote-
 rit verò canon iste Africanus etiam hoc modo accipi, ut nullus clericus ad ju-
 dicia Laicorum publica veniat, nisi per iussionem Episcopi sui, uti eum interpre-
 tatur Concilium Vernense, habitum anno Christi DCCLV. *can. 18.* hoc
 est, ut non liceat Clerico neque actoris neque rei partes sustinere in iudicio
 seculari, nisi ex consensu & permisso Episcopi sui, uti plurima deinceps alia
 Concilia decreverunt. Nulla ergò hic exemptio clericorum ab omni
 prorsus iudicio seculari probari potest, neque fieri ea potuisset sine consensu
 Imperatoris, neque eam admisissent sine mandato vel Præfectus prætorio
 Italiæ, qui tum fuit Messala, vel Probinus Proconsul Africæ, quibus incu-
 buit regia Imperatoris jura defendere, præsertim cum sequentibus adhuc
 temporibus adversus clericos patuerint fora secularia, uti mox audiemus.

Ooooo

LIII. An.

LIII. Anno CCCXCVIII. ab Arcadio Imperatore prodiit famosa illa Constitutio, quæ extat in *l. 7. C. de Episcop. aud.* quâ permissum fuit quibuscunque litigaturis Episcopum sibi in causâ civili judicem ex compromisso eligere, quæve propterea repetiit id, quod à Constantino primum lege permissum dixi supra. Verba sunt: *Si qui ex consensu apud sacre legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri, sponte residentis judicium. Quod his obesse non poterit, nec debet, quos ad prædicti cognitioris examen conventos, potius absuisse, quam sponte venisse constiterit.* Tria hæc constitutio exigit requisita, ut locus fiat Episcopali judicio, *primò*, ut adsit consensus partium, *secundò*, ut civile sit negotium, de quo lis est, & *tertiò*, ut Episcopus more arbitri sententiam dicat. Et additur, fraudi non esse debere id iudicium illis, *quos conventos potius absuisse* (alii legunt: *coactos potius adsuisse*. Utraque lectio præsupponit defectum consensûs) *quam sponte venisse constiterit.* Tota constitutio magis tendit in favorem Laicorum, quibus permissum fuit Episcoporum iudicium prorogare, atque illorum cognitioni se submittere, quam Ecclesiasticorum ad jurisdictionem ampliandam. Sed & illud tenendum, Episcopum ita de causis laicorum cognoscentem, non tam iudicem esse, quàm arbitrum, qui liberâ partium voluntate controversiam cognoscendam & libero suo arbitrio definiendam suscepit. Et ejus proinde sententia per se nec actionem parit, nec iudicati exceptionem *l. 1. C. de recept. arb.* quanquam si partes sententiæ tali parere nolint, compelli possint non quidem ab arbitro, sed à iudice ordinario *l. 5. C. eod.* quemadmodum & Constantinus, ut civilis magistratus sententias Episcoporum exequi debeat, lege publicâ præscripsit.

LIV. Non ita benignus fuit in Occidente frater Arcadii Honorius, quippe qui anno mox sequente CCCXCIX. talem in *l. 1. C. Tb. de religione* edidit constitutionem. *Quotiens de religione agitur, Episcopos convenit judicare: ceteras verò causas, quæ ad ordinarios cognitores vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri.* Abscisè nimis solas de religione causas Episcoporum cognitioni subjicit, reliquas omnes apud ordinarios iudices peragi vult. Et quia constitutio hæc ad Apollodorum Proconsulem Africæ inscripta est, non malè inde conjecturam facit Jacobus Gothofredus *in comment.* denegatum fuisse ab Imperatore Episcopis Africanis, quod illi hoc ipso anno in Concilio Carthaginensi *V. can. 1. sive can. 59. juxta Cod. Can. Eccles. African.* decreverant, *petendum* (ab Imperatoribus) *ut statuere dignentur, ut si qui fortè in Ecclesiâ quamlibet causam jure Apostolico Ecclesiis imposito agere voluerint, & fortasse decisum Clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum in iudicium ad testimonium devocari eum, quia cognitor vel præsens fuerit: ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cuiuslibet* per.

persona pulsetur. Indignum & parum conveniens existimarunt Episcopi Africani, cognitorem clericum ad testimonium dicendum compelli à iudice seculari, ad quem causa devoluta fuerat, atque sic per indirectum cavere volebant, ne appellationes à iudicio clericali interpositæ reciperentur. Honorius ergo appellationem non tantum non inhibendam censuit, sed omnium omnino causarum, præter eas, quæ religionem concernunt, cognitionem Episcopis interdixit.

LV. In aliâ tamen re exaudivit petita Episcoporum Africanorum Honorius. Decreverant illi *can. 2. in eodem Concilio, qui est canon 62. in Cod. Can. Eccles. African. & illud petendum, ut statuere dignentur (Imperatores) ut si quis cujuslibet honoris Clericus iudicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet bonine defensari, interpositâ penâ damni, pecuniæ atque honoris, quo nec etatem nec sexum excusandum esse præcipiant.* Huic petito gratificari cupiens Honorius, anno Christi CCCC. constitutionem, quæ extat in l. 14. C. de Episc. his verbis edidit: *Quicumque residentibus Sacerdotibus fuerit Episcopali loco & nomine detrusus, si aliquid contra custodiam vel quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursusque petere sacerdotium, à quo videtur expulsus: procul ab eâ Urbe quam conturbaverit, centum millibus vitam agat: nec nostra adeat secreta, nec impetrare rescripta speret, sed etiam impetratis careat: defensoribus etiam eorum nostram indignationem subituris.* Honorius igitur, postquam solas de religione causas Episcopis decidendas reliquit, tam firmas & validas eorum voluit esse sententias, ut eas nullâ arte infringere & neque ex aulâ suâ suffragium aliquod sperare posset damnatus. Atque sic, quantum detraxit potestati juris dicendi in causis promiscuè aliis, tantum addidit roboris iudicio de religione, & si quis Episcopus meruisset, ut in Synodo provinciali ex sede & cathedrâ suâ ejiceretur.

LVI. Verum enim verò, quod supra circa cognitionem causarum ademptum fuisse diximus Episcopis ab Honorio Imp. id in amplissimâ formâ restitutum illis fuit ab eodem anno CCCCVIII. in l. 8. C. de Episc. aud. *Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per iudicium quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.* Nihilominus concessum fuit hæc constitutione Episcopis, quam quod jam ante illi habuerunt ex largitione Constantini Magni, & Arcadii fratris, nisi quod prægnantibus magis verbis suam concessionem exornet Honorius. *Magnere jubet episcopale id iudicium intra limites arbitrii, in quod compromiserunt partes.* Quod enim à tali Episcoporum laudo sive arbitrio provocari non debere statuit, id conforme est juri communi, juxta quod stari de-

bet sententiæ arbitri, quam de re dixerit, siue æqua siue iniqua sit, & sibi imputet, qui compromisit, l. 27. §. 2. ff. de recept. arb. ideò scilicet quod appellari ab eâ nequeat. l. 1. C. eod. Sed nec potest arbiter sententiam quam dixit executioni mandare, verum necesse est ut id fiat per magistratum ordinarium & iudicum secularium officia, uti hoc ipsum etiam à Constantino mandatum fuisse dixi supra.

LVII. Cum verò interim ipsæ etiam personæ Ecclesiasticæ per calumniam sæpè ad fora secularia traherentur, & officium ad eò ipsorum falsis & confictis criminibus prostituatur, suum hoc putavit esse officium Honorius, ut adhiberet cautionem, ne id fieret amplius. Promulgavit igitur anno CCCCXII elegantissimam istam constitutionem, quæ in Codice Theodosiano l. 41. de Episcop. his legitur verbis: *Clericos non nisi apud Episcopos accusari convenit. Igitur, si Episcopus vel presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister, apud Episcopum (siquidem alibi non oportet) à qualibet persona fuerint accusati, siue illa sublimis Vir honoris, siue ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergò circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat, se jacturæ fame propriæ subjacere, ut damno pudoris, existimationis dispendio, discat sibi aliena verecundiæ impune insidiari saltem de cætero non licere. Nam sicut Episcopos, presbyteros, diaconos, cæterosque, si his objecta comprobari potuerint, maculatos ab Ecclesiâ venerabili æquum est removeri, ut contempti posthæc & miseræ humilitatis inclinati despectu, injuriarum non habeant actionem, ita similis videri debet justitiæ, quod appetitæ innocentia moderatam desferri iussimus ultionem. Ideoq; huiusmodi duntaxat causas Episcopi sub testificatione multorum, actis audire debebunt.* Optimè ita consuluit Honorius Ecclesiæ ministris, ne per calumniam deinceps & malitiam eos falsorum criminum quis reos faceret, uti hæctenus invaluerat. Primum non alibi vult eos accusari posse aut debere, nisi apud Episcopos; sed quod restringendum est ad delicta Ecclesiastica, siue, uti explicavit Athalaricus Rex Gothorum apud Casfiodor. lib. 8. epist. 24. si Clericus prolevibus causis criminaliter impetatur. Idque patet ex ipsis Constitutionis verbis sequentibus, maximè verò finalibus, quæ totam constitutionem restringunt ad crimina Ecclesiastica aut levia alia, quibus verecundiæ læditur, & quæ remotionem tantum, non etiam pœnam aliam graviolem merentur. Deinde statuit pœnam in eos, qui crimen intentatum probare nequeunt, existimationis scilicet dispendium & infamiam.

LVIII. Non multo post, anno scilicet CCCCXVI. Africani Episcopi in Concilio Milevitano II. c. 19. tale ediderunt decretum: *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio pri-*

privetur; si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obicit. Refertur à Gratiano c. placuit. 11. q. 1. Dubium non est, loqui hunc canonem de clericis litigaturis, eisque interdici, ne deinceps in causis Ecclesiasticis (hæc enim limitatio ex illis, quæ antehac constituta fuerunt, addenda est) iudices seculares adeant, aut tales ab Imperatoribus sibi dari petant. Verba autem mox sequentia perspicuum faciunt, potuisse Imperatores à Clericis imploratos Episcopalia iudicia constituere, in quibus de causis Ecclesiasticis disceptatio fieret. Sic enim jam inde à Constantini tempore obtinuerat, ut si interpellarentur, iudices Ecclesiasticos darent ipsi, & præferberent quandoque, qui procedendi modus observari deberet. Imò verò tam laxa eorum erat potestas, ut etiam extraneos Episcopos, qui scilicet non erant ejusdem cum reo provinciæ, iudices constituerent nonnunquam. Idque docet non Constantini tantum exemplum, qui in causâ Cæciliani Carthaginensis Episcopi à Donatistis, qui eum damnaverant, imploratus Melchiodi Pontifici Romano adjunxit Episcopos tres alios Maternum Agrippinensem, Reticium Augustodunensem & Marinum Arelatensem, ut iudicium constituerent, & controversiam istam deciderent, uti patet ex epistolâ ejus ad Pontificem relatâ ab Eusebio lib. 10. sed etiam libellus per Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Ephesiorum Episcopum Synodo Ephesinâ oblati, in quo conqueruntur, ab Johanne Antiocheno Episcopo injuriam sibi fieri, dum se removeri à sedibus suis postulaverit, cum tamen ei nulla omninò competeret in suas personas autoritas, neque ex legibus Ecclesiasticis, neque ex Imperatoris indulgentiâ aut concessione. Nullam, inquit, omninò, vel per leges Ecclesiasticas, vel per Augustorum decretum potestatem obtinuit, quâ sultus quempiam ex nobis iudicare, vel simile quippiam tentare posset. Vid. acta Concilii Ephesini tom. 4. cap. 2. Potuisset ergo Antiochenus Episcopus licet in alienâ diœcesi constitutus, iudex esse, si quidem eam in rem delegatus fuisset ab Imperatore.

LIX. Fatigata interim fuerunt iudicia Episcopalia per compromissa Laicorum in causis civilibus, quæ declinare non audebant Episcopi tum temporis, etsi maximas inde perentiscerent molestias. Extat insignis hæc de re querela Augustini in Psalm. 118. Suis vitiosis, inquit, & negociosis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, & eis nostra tempora impendamus, maligni homines effragitant, aut certè infirmos premunt, ut causas suas ad nos deferre compellant: quibus dicere non audemus: Dic homo, quis me constituit iudicem aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurare Christianos. Ne illis quidem, qui non aliena rapiunt, sed sua cupide repetunt, dicimus: Cavete ab omni cupiditate, constituentis eis ante oculos hominem, cui dictum est: Stulte hæc nocte auferetur à te anima tua, quæ præparasti, cujus erunt? quia & quando dicimus, non recedunt, non

00000 3

decli-

declinant à nobis; sed instant, urgent, precantur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potius ad ista que diligunt, quam scrutandis DEI mandatis, que diligimus, occupemur. Et porrò: Certè propter eos, qui inter se pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, nostra iudicata contemunt, faciuntq; nobis perire tempora rebus eroganda divinis, certè, inquam, propter istos & nobis liceat exclamare in hâc voce corporis Christi: Declinate à me maligni &c. Pluribus aliis in locis eandem pertexit querelam Augustinus, quæ ostendunt, seculo hoc quinto, quo ipse vixit, morem admodum frequentem & quotidianum fuisse eundi ad iudices Episcopos in causis merè secularibus & pecuniariis. Committere tamen illi solebant quandoque causam aliis dijudicandam, sive clericis sive laicis, quod de Silvano Troadis Episcopo refert Socrates lib. 7. cap. 37. Qui cum animadverteret, Clericos ex litigantium controversiis questum captare, neminem unquam ex clero iudicem dedit. Sed acceptis litigantium libellis ad vocabat unum ex fidelibus Laicis, quem equitatis studiosum esse nôrat, eiq; causæ cognitionem committens litigantes à contentione revocabat.

LX. Honorio Imperatore anno CCCCXXIII defuncto, Johannes quidam, unus ex iis, uti ait Nicephorus l. 14. c. 7. qui Imperatori commentarios scribunt, presenti secundarum rerum statu non contentus imperio arrepto tyrannus exiit. Is verò mox privilegia Ecclesiæ & personis Ecclesiasticis ab Imperatoribus concessa revocavit, atque adeò non Imperii tantum, sed etiam Ecclesiæ hostem se præbuit. Postquam verò is captus, atq; trucidatus fuisset, Valentinianus III. qui Honorio in regimine successit, privilegia Ecclesiastica publicis edictis & præcipuè illo, quod anno Christi CCCCXXV. editum fuit, restituit. Atque istud in l. 47. C. Th. de Episc. ita habet: Privilegia Ecclesiarum omnium, quæ seculo nostro Tyrannus inviderat, pronâ devotione revocamus: Scilicet, ut quicquid à Divis Principibus constitutum est, vel que singuli quiq; Antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarant, sub pœnâ sacrilegii, jugi solidatâ & æternitate servantur. Clericos etiam, quos indiscretim ad seculares iudices debere deduci infaustus Præsumptor edixerat, Episcopali audientia reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Revocare h. e. restituere se dicit Imperator privilegia Ecclesiæ, quæ improbus Tyrannus ademerat, & inter alia, ne indiscretim Clerici ad seculares iudices trahantur, quod edixerat antea Tyrannus. Indiscretim autem qui conveniri non debent, aliquo saltem casu conveniri possunt. Et sic manet, noluisse Valentinianum III. omnem prorsus in Clericos jurisdictionem secularibus iudicibus adimere, nec per verba ultima, licet generalia sint, exemptos eos intelligi debere imperio civili, præsertim cum expressè causarum Ecclesiasticarum mentionem faciat constitutio, quas non alibi quàm in iudiciis Episcopalibus ventilari voluerunt Imperatores etiam anteriores.

LXI. Anno CCCCLI. habitum fuit celebre istud Concilium Chalcedonense, in quo *canone 9.* decretum fuit: *Si quis clericus cum clerico litem habuerit, proprium Episcopum ne deserat, & ad secularia iudicia ne excurrat. Sed prius causam agat apud proprium Episcopum: sed certè de Episcopi sententiâ apud eos quos utraq; pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis subiciatur. Si autem clericus cum proprio vel etiam alio Episcopo litem habuerit, à provincie synodo iudicetur. Si autem cum ipsius provincie metropolitano Episcopus vel Clericus controversiam habuerit, Diceceos ex archum adeat, aut regie Urbis Constantinopoleos sedem, & apud ipsam iudicetur.* Græci Interpretes Balsamon, Zonaras, Aristenus verba hujus canonis initialia ita explicant, non licere Clerico apud iudicium civile adversus Clericum actionem intendere, sed apud proprium Episcopum, vel ejus voluntate apud eos, quos partes voluerint, qui tamen debeant esse idonei, id est, Ecclesiastici, quæ verba de suo addit Balsamon. At verò, si verba canonis accuratè attendantur, non videntur illa excludere prorsus iudicia secularia, sed hoc tantum volunt, non præteriri debere, Episcopum, nec illicò adiri debere iudices seculares, sed prius, *πρὸς τὸν ἐπίσκοπον*, antequam scil. imploretur iudex secularis, causam explicandam esse coram Episcopo, & vel ab ipso decisionem controversiæ petendam, vel cum ejus & utriusque partis consensu arbitros eligendos. Tales autem ex ordine Ecclesiastico esse debere nullibi dicitur; imò verò praxis horum temporum omninò reclamat.

LXII. Ut enim jam non repetam, quæ de Silvani Troadis Episcopi modo procedendi dixi supra, ipsum etiam Concilium Arelatense II. quod eodem quidem hoc anno, sed paulo ante Concilium Chalcedonense celebratum creditur, *can. 31.* hoc prodidit decretum: *Si quis clericorum religionis negotia vel spirituales causas Ecclesiæ ad secularia patrocinia, reliquâ synodo transire præsumpserit, excommunicatione omnium ac detestatione dignus habeatur. Simili modo si causa inter clericos orta fuerit, ne invito Episcopo ad seculares iudices transferatur, sed Episcoporum iudicio terminetur. Si invito Episcopo ad seculares iudices transferri inter clericos exorta controversia non debet, optimè sequitur, licere eam transferre Episcopo consentiente & permittente: Id verò extra controversiam & jam diu constitutum moribusque receptum fuit, quod in priore hujus decreti parte legitur, non debere religionis negotia vel causas spirituales alibi, præterquam in Synodo inter Episcopos, tractari. Repeti tamen id fortè ideò debuit, quia non accuratè semper causæ spirituales ab reliquis dignoscerentur, præsertim si connexæ fuissent aut implicatæ causis pecuniariis, quod contingere aliquando potest.*

LXIII. Si tamen rectè percipio mentem & sententiam eorum quæ vel ab Imperatoribus vel ab Episcopis in Conciliis hoc tempore in tali nego-

cio

cio statuta fuerunt, videtur mihi multo adstrictior fuisse potestas iudicis Episcopalibus in Occidente, quam in Oriente concessa. Quæ enim post Concilium Chalcedonense anno mox sequente à Valentiniano III. edita fuit Constitutio novella, non aliter admittit iudicia illa, ne quidem inter utrimque clericos, nisi utriusque & actoris & rei consensus & compromissum præcesserit, additâ ratione, quod Episcopi & presbyteri nullum habeant forum, neque de aliis causis cognoscere possint, nisi de illis, quæ religionem concernunt: *De Episcopali*, inquit, *judicio diversorum sæpe causatio est. Ne ulterius querela procedat, necesse est præsentis lege sanciri.* Itaque cum inter Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit, habet Episcopus licentiam iudicandi præeunte tamen vinculo compromissi. Quod & de laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit. Aliter eos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interpositâ, sicut dictum est, conditione præcedat. Quoniam constat Episcopos & presbyteros **FORUM LEGIBUS NON HABERE**, nec de aliis causis, secundum Arcadii & Honorii Divalia constituta quæ Theodosianum corpus ostendit, præter religionem, posse cognoscere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agunt publicis legibus & jure communi. Sin verò petitor Laicus seu in civili seu criminali causâ cujuslibet loci Clericum adversarium suum, si id magis eligat, per auctoritatem legitimam in publico iudicio respondere compellat. Quam formam etiam circa Episcoporum personam observari oportere censemus, ut si in hujusmodi ordinis homines actionem persuasionis & atrocium injuriarum dirigi necesse fuerit, per Procuratorem solemniter ordinatum apud iudicem publicum inter leges & jura configant, iudicati exitu ad mandatores sine dubio reversuro. Quod bis religionis & sacerdotii veneratione permittimus. Nam notum est, procuratorem in criminalibus negociis non posse concedi. Sed ut sit ulla discretio meritorum, Episcopis & presbyteris tantum id oportet impendi. In reliquis negociis criminalibus juxta legum ordinem per se subire coguntur. Si ab executore conventi parere detrectent, servato juris ordine sententia teneat contumaces. In clerico petitore consequens erit, ut secundum leges pulsati forum sequatur, si, ut dictum est, adversarius suus ad Episcopi vel presbyteri audientiam non præstat assensum. Pœna defensoribus negocii, qui in eodem extraordinario iudicio adfuerint atque egerint, hujusmodi constituta, ut causidicum officii amissio, jurisconsultum existimationis & interdictæ civitatis damnapercellant. Extat ista constitutio inter novellas Valentiniani tit. 12. eamque quod parum faveat Monarchiæ Ecclesiasticæ, non tantum non recensuit Card. Baronius, sed pessimè perstrinxit, ad ann. CCCCLII. num. 52. Sed & contrariam ei sanctionem à Majoriano Successore latam ait, quam verò nec ipse recitat ullibi, nec, ubi reperire eam liceat, ullo indicio prodit. Quæ enim inter novellas Majoriani tit. 2. invenitur rubrica *de Episcopali iudicio*, nullam eâ dere exhibet constitutionem, & quæ illic extat, manca & mutila est.

LXIV. Non destiterunt tamen Episcopi etiam in Occidente suas extendere & dilatare fimbrias, quanquam occultare eas, & ne suspectæ essent iudicibus & magistratibus secularibus, verbis aliquantum dubiis involvere soliti fuerint. In Concilio Andegavenfi, quod anno CCCCLIII. convocatum fuit, à septem Episcopis illic propter ordinationem Talasii congregatis can. 1. decretum fuit, ut contra Episcopale iudicium Clericis non liceat proflire, neque inconsultis sacerdotibus suis secularia iudicia expetere. Planè ad sententiam canonis Chalcedonenfis supra adducti, spretâ constitutione Valentiniani. Eodem tendit epistola, quam ex septem illis Episcopis tres, Leo scil. Bituricensis, Eustochius Turonensis, & Victorius Cenomanensis ad Episcopos Ecclesiarum intra provinciam tertiam Lugdunensem constitutarum scripserunt, & recensetur tom. 1. Concil. Gall. pag. 119. Eam anno CCCCLIV. ex Synodo Bituricensi scriptam purat Petrus Delalande in supplement. Concil. Gall. pag. 32. Verba sic habent: *Tantam seculi potestates circa sacerdotalem Ordinem reverentiam prævalere voluerunt, ut etiam ii, quos sub Imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, jus distringendorum negotiorum Episcopis juxta Divalia constituta permiserint. Quod cum § juris antiqui formulis § illatis frequentius sit legibus confirmatum, presenti tempore à plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermissio sacerdotali iudicio passim ad examen seculare transierunt. Idcirco nobis visum est, ut hanc § sacræ legis § nostri ordinis contumeliam § ad præsens ulcisceretur plena districtio, § observandam formulam constitueret in futurum. Censuimus itaque ut quicumque prætermissio sacerdote Ecclesia suæ ad disceptationem venerit secularium, sacris liminibus expulsus à cœlesti arceatur altario. — Sanè si clericum Laicus pulset, (in editione Delalande legitur: Si clericus Laicum pulset. perperam!) prius audiri se ab Episcopo poscat; tum si petitioni suæ Laicum viderit obviare, ex permissu Episcopi sui in seculi moderatoris disceptatione configat. Nolunt Episcopi illi clericos suos ab omni iurisdictione seculari prorsus exemptos esse, neque prohibent, quo minus inter utrinque clericos causa examinetur in iudicio civili, sed hoc tantum urgent, ne id fiat prætermissio iudicio sacerdotali.*

LXV. Qui in Oriente hoc tempore tenuit imperium Marcianus anno CCCCLVI. utrumque forum, Ecclesiasticum & civile patere voluit, si quis clericus rei partes sustinere debuit, ita ut electio & arbitrium esset penes actorem. Constitutio extat in l. 13. C. de Episcop. aud. Decernimus, ut quicumque Catholicarum Ecclesiarum, quæ sub viro religioso Archiepiscopo hujus alme Urbis sunt, reverendissimum Oeconomum, sive de Ecclesiasticis, sive de propriis § ad ipsum solum pertinentibus causis, vel quemcunque alterum earundem ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum beatissimum Archiepiscopum causam dicat, in negotiis audiendis fidem ac sinceritatem

PPPPP

tem

tem geminam præbiturum & Sacerdotis & Judicis. Volentibus tamen actoribus pateat Episcopale judicium, ac nullus, qui hujuscemodi intendit in SS. Ecclesiis vel in prædictos Clericos actionem ad religiosissimum antistitem ducatur in vitium. Quæ ultima verba ostendunt, extraordinarium esse judicium, quod Clericus habet apud Episcopum suum, ordinarium verò ejus esse apud judicem secularem, nec cogi posse actorem, ut extraordinarium istud adeat. Agit autem constitutio de Clericis Ecclesiæ Constantinopolitanæ & aliarum illi subjectarum, quibus hoc insuper privilegium tribuit Marcianus, ut nec promiscuè apud quemvis judicem secularem conveniri possint, sed apud præfectum prætorio Orientis, qui tum temporis erat Constantinus. Coasfanda enim constitutioni illi est alia ejusdem Marciani, in l. 25. C. de Episc. Cum Clericis in judicium vocatis pateat episcopalis audientia, volentibus tamen actoribus, si actor disceptationem sanctissimi Archiepiscopi noluerit experiri, eminentissimæ tuæ sedis examen contra catholicos sub Viro reverendissimo Archiepiscopo hujus Urbis Clericos constitutos vel contra reverendissimum Oeconomum tam de suis, quam de Ecclesiasticis negociis, sibi met noverit expetendum, qui in nullo alio foro, vel apud quenquam alterum judicem eosdem Clericos litibus irritare & civilibus vel criminalibus negociis tentet innectere &c. Illud singulare est, quod etiam de Ecclesiasticis negociis in judicio seculari apud Præfectum prætorio voluerit disceptari Marcianus, quarum ratione in ipsas sacrosanctas Ecclesias actionem intendi dixit in d. l. 13. Sub illis tamen comprehendi minimè debent causæ religionis & quæ ipsam Christianam fidem concernunt.

LXVI. In Occidentali verò Ecclesiâ Episcopi perrexerunt sua statuta aliis novis decretis firmare. In Synodo enim Veneticâ, quæ propter ordinationem Paterni Episcopi anno CCCCLXV convenit can. 9. statuerunt: Clericis, nisi ex permisso Episcoporum suorum secularia judicia adire non liceat. Sed si quis fori esse Episcopi sui judicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua adversus ipsum Episcopum fuerit nata contentio, aliorum Episcoporum audientiam non secularium potestatum debet ambire. Aliter à communionem habeatur alienus. Nihil novi hic statuitur, sed uti ex præcedentibus ita & ex hoc canone patet, licuisse Clericos vel à Laicis vel ab aliis clericis in judiciis secularibus conveniri, & clerico etiam reo judicia talia adire dummodo id fieret cum præscitu & consensu Episcopi sui; non quod prohibere potuerit Episcopus, quo minus tale judicium seculare suum haberet progressum, sed quod Episcopi interesset scire, propter quam causam clericus conventus esset, ne forte causa religionis aut Ecclesiasticum aliquod delictum, ad judicia secularia traheretur, & ne temere Clericus litigium iniret, si præsertim causa talis esset, quæ per ipsum Episcopum facili negotio componi potuisset. Ex tot autem in diversis conciliis

ciliis & conventibus repetitis de rebus quid aliud colligere licet? nisi maluisse, ut plurimum Clericos in secularibus iudiciis litigare, quam apud Episcopos suos, vel quod hos affectibus quandoque suis indulgere compertum haberent, vel quod parum periti essent disceptationum forensium, & haud paulo æquiores aut certè magis consideratæ ex iudiciis civilibus expectarentur sententiæ.

LXVII. Qui in Oriente Marciano successit Leo Imperator, Antecessoris sui constitutionem renovavit quodammodo, & correxit in l. 33. C. de Episc. & Cler. Omnes, inquit, qui ubiq; sunt vel posthac fuerint, orthodoxe fidei Sacerdotes & Clerici cujuscunq; gradus sint, monachi quoq; in causis civilibus ex nullius penitus majoris minorisve sententiâ iudicis communitoria ad extranea iudicia pertrabantur: aut provinciam, aut locum, aut regionem, quam habitant, exire cogantur: nullus eorum Ecclesias, vel monasteria propria, que religionis intuitu habitant, relinquere miserabili necessitate jubeatur, sed apud suos iudices ordinarios, id est, provinciarum Rectores, in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecudent, omniumq; contra se agentium excipiant actiones: ut his horis saltem atq; temporibus, quibus religiosos Viros, à turbulenta observatione prætorii vacare contigerit, cumq; eos ad tempus petitorum intentio calumniosa laxaverit, ad sua se monasteria & venerabiles Ecclesias conferentes, sapienti animo, precatione sollicita, faciliusq; de proximo sacrosanctis altaribus obsecudent, in suis laribus domiciliisq; constituti. In hac autem regiâ Urbe, si quando cujuscunq; rei causa, Episcopos, vel presbyteros, ceterosq; clericos, qui sacrosanctis Ecclesiis obsequuntur, sive monachos ex aliis quibuscunq; provinciis contigerit reperiri, quos tamen in litem quisquam vocare voluerit, in nullo alio sit licitum memoratos cuiquam pulsare iudicio, nisi in tua sublimitatis duntaxat examine, ubi eis & beatitudinis honor debitus reservetur, & Oratorum affluens in defensionibus copia largè præstetur &c. Apprimè notandum, quod nullibi hic mentionem faciat iudiciû Ecclesiasticum, sed provinciarum rectores Clericorum iudices appellet ordinarios, & vel apud istos vel si Constantinopoli inveniantur, apud Præfectum prætorio litem intentare jubeat adversus clericos quoscunque & monachos, & ipsos etiam Episcopos.

LXVIII. Ineunte seculo sexto in Conciliis Gallicis renovata fuerunt decreta ab antecessoribus in Synodis Andegavensi, Bituricensi & Venetico facta, & supra adducta. Anno enim DVI. in Concilio Agathensi can. 32. statutum legitur: Clericus ne quenuquam presumat apud secularem iudicem Episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat, nec audeat criminale negocium in iudicio seculari proponere. Gratianus canonem hunc sub eadem rubricâ bis recenset, nempe cap. 17. & 47. caus. 11. q. 1. verbis tamen initialibus in alium sensum mutatis, hoc modo: Clericum nullus presumat apud secularem iudicem &c. quod etiam observarunt & emenda-

PPPPP

runt

runt illi, quibus à Pontifice negotium istud commissum fuerat. Hoc videtur novum, quod respondere tantum jubeatur, proponere autem prohibeatur Clericus in iudicio seculari conventus, quo ipso omnis ei reconventio, omnisque anticategoria videtur denegata, eoque pertinent verba, *nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere.* Id tamen semper accipiendum de casu, quo Episcopi non fuit requisitus consensus, & permisso. Hanc enim præcedere debere, non superiores tantum, qui allegati fuere, canones, sed ipse etiam hic Agathensis exprimit. Sed & postea idem statuit Concilium Epadnense, anno DXXVII, cap. 11. *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire vel interpellare publicum non præsumant, sed si pulsati fuerint, sequi ad seculare iudicium non morentur.* Relinquunt igitur concilia ista adhuc iudicibus secularibus jurisdictionem in Clericos, & hoc tantum exigunt, ne ab ipso Clerico, sive actor sive reus fuerit, negligatur Episcopi sui autoritas, neve sine ejus præscitu in iudicio seculari compareat. Ex quo inferri poterit porro, non fuisse olim Clericos per subsidium & citationem subsidialem, ut vocant, in jus vocatos, cum aliàs Episcopus ejus causæ scientiam habuisset, & statuere de comparitione Clerici potuisset, antequam quicquam eâ de re compertum habuisset Clericus ipse.

LXIX. Pervenimus ita ad istud tempus, quo imperii gubernacula suscepit Justinianus, qui uti in omnibus controversi juris capitibus enixè operam dedit, ut justæ deinceps haberentur decisiones: ita etiam circa iudicia Ecclesiasticorum valdè sollicitus fuit, ut omnis tolleretur difficultas, utve nulla deinceps superesset dubitandi ratio, quousque de privilegiato suo foro Clericis excipere liceret. Et primum quidem anno DXXX. de instantiis Ecclesiasticorum edidit constitutionem, quæ extat in l. 29. C. de Episc. aud. & prohibuit, ne Clericus illicò à quoquam apud patriarcham dioceseos conveniretur, sed ut gradus observarentur, & ut reus fieret ille primum apud Episcopum suum, deinde, si suspectus hic visus fuerit, apud metropolitanum, postea, si de hoc etiam aliquod extet dubium, apud Synodum provinciæ, ita ut metropolitanus cum tribus Episcopis senioribus sententiam ferre deberet, salvâ appellatione ad patriarcham. Hoc verò totum restringit ille expressè ad causas & negotia ecclesiastica; in cæteris verò, quæ talia non sunt, consistere vult autoritatem iudiciorum civilium, ut in his cognitio instituat, & sententia feratur. Verba meridianâ luce clariora sunt in d. l. 29. §. 4. *Has autem actiones, siquidem ad Ecclesiastica negotia pertinent, necesse fore jubemus, ut à solis religiosissimis Episcopis, aut metropolitanis, aut à sacris Synodis, aut à sanctis patriarchis cognoscantur. Si verò civilium rerum controversia sit, volentes questionem apud antistites institueri patiemur, invito tamen non cogemus, non iudicia civilia sint, si ea adire malint, apud quæ licet etiam de criminibus cognoscere.*

LXX. Monachorum in hac constitutione nullam fecit mentionem Justinianus, quos tamen æquali jure cum clericis uti voluit Leo Imp. in supra adductâ l. 33. C. de Episc. Cum verò indecorum & minus conveniens videretur, ut vel monachi ex cœnobiis suis ad tribunalia ire cogerentur, vel ut iudices seculares in monasteriis tribunalia erigerent, atque illic de causis controversiis sententias ferrent, idem Justinianus anno DXXXIX. in gratiam monachorum & sanctimonialium specialem edidit constitutionem, *novellam scil. 79.* quâ statuit, non debere monachos, moniales & ascetrias in jus vocari ad judicia secularia, sed ad eundem esse Episcopos, qui illi loci præsent, & monachos debere vel per abbatem, vel per actorem, vel per syndicum communem respondere; iudicem ipsum verò litem finire per sententiam legibus & canonibus conformem, additâ pœnâ, si quis constitutionem hanc violaverit. Generaliter suam hanc constitutionem concepit Justinianus de quâcunque causâ, de quâ lis moveri posset. Quod accipiendum de causâ tali, quæ monachum in statu suo inconcussum & incolumem relinquit, ne quis putet, extendendum id esse etiam ad causas criminales, quippe propter quas expelli monachi & ejici monasteriis debent, *novell. 133. c. 5. & 6.* eoque factò iudici seculari suæ tum erunt partes.

LXX. Constitutio hæc vix edita erat, & post octiduum secuta fuit mox alia, de foro clericorum, *novella scilicet 83.* mentionem simul faciens legis de monachorum privilegio modo promulgatæ. Causam dedit querela a patriarcha Constantinopolitano Mennâ Imperatori suggesta, de iudicium scil. secularium usurpatâ in clericos quibuscunque in causis jurisdictione. Imperator, ut omnem tolleret difficultatem, & ut tandem aliquando iusta conficeretur norma, quam iudices sequerentur, accuratè distinguere voluit causas, quæ proponerentur, utrum pecuniariæ essent, an verò crimina persequerentur. In causis pecuniariis hanc statuit regulam, non debere eas in auditoriis civilibus, sed apud solos Episcopos & vel scripto, vel sine scripto, prout partes inter se convenerint, ventilari. *Si, inquit, quis habet adversus clericos quamlibet pecuniariam causam, prius ad DEO amabilem archiepiscopum* (intelligendum hoc de Episcopo, uti ex sequentibus patet, qui omninò negligi non poterit, cum habenda sit instantiarum ratio, l. 29. C. de episc. aud. præscripta) *pergat, sub quo constitutus est, & interpellat eum, & ex non scripto iudicium mereatur, & si hoc fiat, nec inquietet eum, nec trahat ad auditoria civilia.* Mox verò addit exceptionem, si videlicet causæ conditio iudicium aliud exigat, vel propter difficultatem Episcopus non sufficiens sit ei decidendæ. *Si verò, inquit, aut propter cause naturam, aut propter quandam forte difficultatem non fuerit possibile DEO amabili Episcopo decidere negocium, tunc licentiam esse ad civiles iudices pergere, & privilegis*

PPPPP 3

omni-

omnibus custoditis, quæ reverendissimis clericis sacra præstant constitutiones, & litigare & examinationem fieri, & terminum imponi liti &c.

LXXII. Quod si crimen aliquod Clerico alicui objectum fuerit, distinguere vult Legislator crimina civilia ab Ecclesiasticis. Quæ distinctio cum etiam ab anterioribus Imperatoribus, quos supra nominavi, applicata huic negotio sapientissimè fuerit, explicanda nobis erit paulo accuratius. Arius Menander Ictus in l. 2. ff. de re militar. cum de militum delictis questio incidit, ea dicit esse duplicia, aut propria aut cum cæteris communia, atque hinc persecutionem eorum aut propriam aut communem. Proprium verò delictum militare dicit esse, quod quis uti miles admittit. Ex quo sequitur, commune delictum esse, quod non milites tantum, sed alii etiam homines committere solent. Exemplis res fiet clarior, qualia plurima referuntur in l. 3. ff. eod. delictorum scilicet militarium, si quis disertor aut emansor fuerit, si in exploratione emanat, si à fossato recedat, si stationis munus relinquat, si ab excubatione desistat, si ad diem commeatûs non veniat, si ad hostem confugiat, si in bello arma amittat, aut alienet, si vallum transcendat &c. Quæ omnia propria militum dicuntur delicta. Communia verò sunt, adulterium, homicidium, furtum &c. quippe quæ à milite, non ut milite, sed ut ab homine facinoroso quocumque committuntur. Ad exemplum hujus distinctionis etiam clericorum delicta distinguere cœperunt ab Imperatoribus in propria & communia sive Ecclesiastica, uti hic vocat Imperator Justinianus, & civilia. Propria sive Ecclesiastica dicenda sunt illa, quæ clericus, quæ talis, in officio suo committit. Quò etiam pertinet Simonia crimen, quando pecuniæ interventu quis ad ministerium Ecclesiasticum promovetur. Communia sive civilia Clericorum crimina sunt illa omnia, quæ officium eorum in specie non attingunt, & à quovis alio committuntur, qualia sunt homicidium, adulterium, stuprum, falsum &c.

LXXIII. Quemadmodum igitur de militibus jure Romano statutum fuit, ut ad eum remitterentur, si quid deliquerint, sub quo militant, l. 9. ff. de custod. & exhib. reor. quod intelligendum est de illis criminibus, quæ militum propria sunt: ita voluerunt Imperatores, ut quæ à Clericis committuntur delicta Ecclesiastica, Episcoporum coërcitioni relinquuntur. Et porro, quemadmodum communis delicti à milite commissi communis est persecutio, l. 2. ff. de re milit. ut allegari ab eo tum non possit privilegium: ita & Clericus propter commune delictum puniri debet ab ordinario loci judice & Magistratu. His ita præmissis planum & apertum est, quid sibi velit Justinianus d. novell. 83. dum ait: *Si tamen de criminibus conveniantur, siquidem civilibus, his quidem competentes judices, in provinciis autem earum præfides sive judices, non transcendente lite mensum duorum spatium, ex quo litis*
con-

contestatio sit, quatenus brevis imponatur cause terminus. -- Si verò Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiasticâ & multâ, DEO amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provincie iudicibus. Neq. enim volumus talia negocia omninò scire civiles iudices, cum oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam multam, secundum sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges &c. Et in hunc modum accipiendum etiam est, quod dixit Marcianus Imp. ad Episcopos in Concilio Chalcedonensi congregatos, c. 6. Quædam capitula sunt, que ad honorem reverentia vestra vobis servavimus, decorum esse iudicantes, a vobis hæc regulariter potius formari per synodum, quam nostrâ lege sanciri. Canones enim, quos eorum arbitrio formandos commisit, & mox prælegi iussit, omnes agunt de rebus & delictis Ecclesiasticis. Nec verò à Justiniano primùm excogitata ista delictorum distinctio fuit, sed dudum ea & maximè seculo IV. invaluerat, uti jam supra diximus.

LXXIV. Ad ea, quæ de civilibus criminibus statuerat, addidit Justinianus: Illud palam est, si reum esse putaverit eum, qui convenitur provincie præses & pœnâ iudicaverit dignum, prius hunc spoliari à DEO amabili Episcopo sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu. Quæ verba ostendunt, prius cognoscendum & per cognitionem istam explorandum esse in iudicio seculari, numquid dignum corporali coërcitione commiserit clericus, & tùm denunciandum id Episcopo, ut clericus ille per degradationem, uti vocant, dignitate suâ exuatur, & ex ordine ejiciatur, quam pœna in eum decreta executioni mandetur. Secus atque hodiè fieri solet, dum non licet Magistratui seculari in clericum decernere quicquam, antequam Episcopus cum suis Assessoribus in iudicio Ecclesiastico de crimine commisso iudicaverit, dignum id esse, propter quod animadversio fiat in iudicio seculari. Et volunt nihilominus porro hodierni Canonistæ, Ecclesiam intercedere debere, ut iudex secularis citra mortis periculum in eum sententiam temperet atque moderetur. Quæ de re alibi.

LXXV. Simulatque verò novella illa ab Justiniano edita fuit, exeruerunt sese mox querelæ & difficultates aliæ, quas ut tolleret Justinianus, post biennium, anno scil. DXLI. promulgavit novellam Constitutionem 123. atque in ejus cap. 21. ea, quæ ad iudicia Clericorum pertinent, multifariam constituit, ita tamen, ut pleraque ea, quæ in novella 83. exposita fuerant, retineret, servatâ etiam distinctione inter causas Ecclesiasticas & civiles. Conjungit autem nunc monachos & clericos, quibus separatim ante utrisque sua privilegia dederat, & nunc omnes eadem immunitate gaudere, & circa utrosque eundem procedendi ordinem observari vult. Si quis, inquit, contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam,

nastriam aut ascetiam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum Episcopum, cui horum unusquisque subiaceat: ille verò causam inter eos iudicet: & si quidem utraq; pars iis, quæ iudicata sunt, acquieverit: jubemus per loci iudicem hoc executioni perfectæ contradi Sc. Primum igitur à quovis actore, qui adversus clericum iudicio experiri vult, adeundus est Episcopus, & ab eo petenda causæ decisio. Quid verò si Episcopus aut non velit aut propter causæ subtilitatem non possit iudicis partes sustinere? tùm utique permittit Justinianus, ut rectè imploretur officium iudicis secularis. Si quis, inquit, pro pecuniariâ causâ contra aliquam omnium memoratarum personarum habuerit actionem aliquam, & Episcopus distulerit inter eas iudicare, licentiam habeat actor civilem iudicem adire Sc. Sed hoc locum habet in causâ tantùm pecuniariâ, quatenus contradistinguitur Ecclesiasticæ. De hac enim nullum omninò iudici seculari ab Imperatore relinquitur iudicium. Si autem, inquit, Ecclesiastica causa est, nullam communionem habeant iudices civiles circa talem examinationem, sed sanctissimus Episcopus secundum sacras regulas causæ finem imponat.

LXXVI. Noluît autem Justinianus & ne quidem in civili pecuniariâ causa tam absolutum esse Episcopi iudicium, ut ejus sententiæ acquiescere condemnatum illicò oporteat; sed appellationem admittit, non quidem ad metropolitanum, aut synodum provincialem, aut aliud iudicium Ecclesiasticum, sed ad iudicem loci secularem. Sic enim constituit Imperator porrò: *Si quis autem litigantium (hoc ergò idem permittum est Clerico ab Episcopo suo condemnato & per sententiam succumbenti,) intra decem dies contradicat iis, quæ iudicata sunt, tunc locorum iudex causam examinet, & si invenerit iudicium rectè factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni propriæ tradat, quæ iudicata sunt: & non liceat secundo in tali causâ victo appellare. Si verò iudicis sententia contraria fuerit iis, quæ à DEO amabili Episcopo iudicata sunt, tunc locum habere appellationem contra sententiam iudicis. Et hanc secundum legum ordinem referri & exerceri. Appellationis igitur instantia non subsistet alibi, nisi in iudicio seculari, ita ut ipsius etiam Episcopi sententia tali iudicio submittenda sit, si alterutra pars acquiescere & approbare eam nolit. Circa ipsam tamen appellationem, quatenus admitti ea debeat, hanc addit exceptionem Justinianus, ut si Episcopus vel ab ipso Imperatore, vel ab alio iudice seculari delegatus commissarius, ut vocant, fuerit, appellatio fieri non aliter debeat, nisi ad committentem: Si tamen ex Imperiali iussione aut iudiciali præcepto Episcopus iudicat inter quascunq; personas: appellatio ad imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur.*

LXXVII. Et hæc quidem de causis civilibus sive pecuniariis. Propter causas verò criminales clerico aut monacho intentandas, integrum & liberum

liberum relinquit Imperator accusatori, utrum accusationem suam apud Episcopum, an verò apud judicem secularem instituere velit, idque intelligendum est, de criminibus civilibus, uti vocavit *novell. 83.* sive communibus. Priore casu ait, debere Episcopum, si verum deprehenderit crimen, & delinquens vel confessus vel convictus fuerit, eum exauctorare, & judici seculari puniendum tradere, qui tamen causam nihilominus examinare debeat. *Si verò crimen, inquit, fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum inferatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, & ipse veritatem invenire potuerit: ab honore & gradu hunc secundum Ecclesiasticas regulas dejiciat, & tunc competens judex hunc comprehendat, & secundum leges litem examinas causa finem imponat.* Nullum igitur tum facit præjudicium sententia in judicio Episcopali lata, ut maximè confessus fuerit crimen reus, sed de causâ denuò cognoscendum erit ab judice seculari. Nec poterit verò Episcopus de pœnâ civili quicquam decernere, cum & aliâs judiciis sanguinariis interesse prorsus prohibeatur. In tali igitur casu, quo de crimine commisso constat, facere nihil aliud potest Episcopus, quam ut reum gradu & dignitate suâ per exauctorationem dejiciat, eumque privilegiis omnibus exuat, & quod reliquum est, judici seculari expediendum relinquat.

LXXVIII. Posteriore casu, quando scil. ab accusatore aditus primùm fuit judex secularis, hoc vult observari discrimen Imperator, ut si sententiam ejus judicis approbaverit Episcopus, postquam ex actis plenè informatus fuerit, Episcopus ipse reum dignitate suâ & privilegiis exuat, judex autem secularis hoc facto sententiam à se latam exsequatur. Si verò approbare eandem nequiverit, ut abstineat interim à degradatione, uti hodiè vocant, & ut uterque tum Episcopus tum judex secularis de statu causæ certiore faciat Imperatorem, ejusque voluntas & sententia expectetur. *Si verò, inquit, prius civilem judicem adeat accusator, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc Episcopo locorum gesta monumentorum palàm faciat: & si ex his agnoscatur, proposita crimina commisisse eum, tunc ipse Episcopus hunc secundum regulas ab honore sive gradu, quem habet, separet: judex autem ultionem ei inferat, legibus congruentem.* Si verò Episcopus putaverit, gesta non justè confecta, tunc liceat ei differre, & nudare honore seu gradu accusatam personam, (sive ut Gregorius Halvander vertit: tunc licitum ei est ad accusatam personam honore seu gradu denudandam moram interponere,) ita tamen, ut hujusmodi persona sub legitimâ cautelâ fiat, h. e. fidejussione, & ita ad nos negotium tam ab Episcopo, quam à judice referatur, ut nos hoc cognoscentes, que nobis videntur, jubeamus. In omnibus ita causis, exceptis solis pecuniariis, quando utraque pars in sententiâ Episcopi acquiescit, Imperator, judicibus

Q9999

secula-

secularibus suam in clericos confirmat jurisdictionem, ita ut etiam à judicio Ecclesiastico secundam illis largiatur instantiam.

LXXIX. Interea, dum ita occupatus fuit in *voμoθρωα* Justinianus, sua quoque pergere decreta non cessarunt Synodi Gallicæ quanquam verbis admodum generalibus, & quæ vel ex antecedentibus Conciliis vel ex constitutionibus Imperatorum explicationem omnino exigunt. In Concilio enim Aurelianensi III. c. 32. hoc habetur statutum: *Clericus cujuslibet gradus sine Pontificis sui permissa nullum ad seculare judicium presumat attrahere: neque laico inconsulto sacerdote, clericum in seculare judicium liceat exhibere.* Et in Concilio Aurelianensi IV. c. 20. *Ut nullus secularium personarum, prætermisso Pontifice seu præposito Ecclesiæ quonquam Clericorum pro sua potestate constringere, discutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus, si pro causa ad petitionem cujuscunque fuerit ab Ecclesiastico Ordinatore commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, & respondere nullâ calliditate dissimulet. Sed quæcunque causatio quoties inter clericum & secularem vertitur, absque presbytero aut archidiacono, vel si quis esse præpositus Ecclesiæ dignoscitur, judex publicus audire negotium non presumat. Sanè si causam habentibus placuerit ire ad judicium fori ex voluntate communi, permittente præposito Ecclesiæ, clerico licentia tribuatur. Non prorsus excludunt hæc decreta judicium secularium de Clericorum negociis cognitionem, neque eximunt eos jurisdictione civili, sed monent tantum, ne judicium seculare adeatur sine præcitu & consensu Episcopi. Atque sic etiam accipiendus est canon 35. Concilii Antistiodorensis: *Non licet presbytero aut diacono, vel cuiquam clericorum de quâlibet causâ conclericum suum ad judicem secularem trahere.* Concilium autem Matisconense I. c. 7. disertè mentionem facit Episcopalis consensus, & excipit insuper causas criminales. *Ut nullus Clericus de quâlibet causâ, extra discussionem Episcopi sui à seculari judicio injuriam patiat, aut custodia deputetur. Quod si quicumq; judex cujuscunque clericum absque causâ criminali, id est, homicidio, furto aut maleficio, hoc facere fortasse præsumperit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.**

LXXX. Longius progressi fuerunt Episcopi in Concilio Matisconensi II. anno DXXXV. congregati, qui can. 9. etiam magistratibus & nisi fallor, ipsis quoque Regibus sub anathematis fulmine prohibere ausi fuerunt, ne quid in Episcopos & Clericos decernerent. Hæc sunt eorum verba: *Licet reverendissimi canones atque sacratissima leges de Episcopali audientia in ipso penè Christianitatis principio sententiam protulerint; tamen quoniam eadem postposita, humana in sacerdotes DEI grassatur temeritas, ita ut eos de atris venerabilium Ecclesiarum violenter abstractos, ergastulis publicis addicant, censemus, ut Episcopum nullus secularium fascibus præditus jure suo contumaciter & perperam agens, de sanctâ Ecclesiâ, cui præest, trahere audeat. Sed si quid con-*
sentio.

tionis adversus Episcopum potentior persona habuerit, pergat ad Metropolitanum Episcopum & ei causas alleget, & ipse sit potestatis honorabiliter Episcopum, de quo agitur, evocare, ut in ejus presentia accusatori respondeat, & oppositas sibi actiones extricet. Quod si talis fuerit immanitas cause, ut eam solus Metropolitanus definire non valeat, advocet secum unum vel duos Coepiscopos. Quod si & ipsis dubietas fuerit, Conciliabulum definito die vel tempore instituant, in quo universa rite collecta fraternitas Coepiscopi sui causas discutiat, & pro merito aut justificet, aut culpet. Nefas est enim, ut illius manibus Episcopus, a iussione de Ecclesia trahatur, pro quo semper DEUM exorat, & cui, invocato nomine Domini, ad salvationem corporis animæq; Eucharistiam sæpè porrexit. Hoc enim decretum à nobis præfixum qui fuerit audacter transgressus, tam ipse quàm omnes, qui ei consenserint, usq; ad generale Concilium anathemate de Ecclesia separentur. Extenditur hoc decretum can. 10. ad Clericos etiam reliquos, ne quid in eos à secularibus statuatur.

LXXXI. Perturbatissimus tùm erat Franciæ status; ea quippe in tetrarchias divisâ, Clotarii filii, quæ imperabant simul omnes & Reges dicebantur, bellis & contentionibus acerrimè se invicem persequabantur, quas Episcopi, prout cujusque ferebat inclinatio, non alebant tantum & fovebant, sed augebant etiam nonnunquam. Astus & fraudes illorum pluribus in locis describunt veterum memoriarum libri. Et notabile est, quod de Guntheramno Rege uno ex fratribus illis refert Gregorius Turonensis lib. 8. c. 2. Convivium ille instruxerat, quo exciperet Episcopos tum præsententes. Tunc Berthramnus Burdigalensis Episcopus cum Palladio Sanctonico valde Regi insensus erat pro susceptione Gundobaldi; (qui ex Urbe Constantinopolitanâ venerat, fratrem se Guntheramni & reliquorum asserens, & hereditatis partem sibi vindicaturus.) Sed & Palladius Episcopus ob hoc maxime Regis iram incurrerat, quod ei sæpius fallaciæ intulisset. Discussi enim ante paululum fuerant ab reliquis Episcopis & Optimatibus Regis, cur Gundobaldum suscepissent, cur Faustianum Aquis Episcopum ad præceptionem ejus levissimam ordinassent. Sed hanc causam ordinationis Palladius Episcopus à Berthramno metropolitano suo auferens super se devolvit, dicens: Oculi metropolitani mei valde doloribus artabantur, & ego spoliatus & contemptus, invito in eo loco adductus sum. Non potui aliud facere, nisi que ille, qui omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, imperabat. Cum hæc Regi nunciata fuissent, valde commotus est, ita ut vix obtineri posset, ut eos ad convivium convocaret, quos antea non viderat. Visoque Berthramno interrogat Rex: Quis, ait, est iste? diu enim erat, quod ab eo visus non fuerat, dixerunt: Hic est Berthramnus Burdigalensis urbis Episcopus. Cui ille, gratias, inquit, agimus, quod sic custodisti fidem generationi tuæ. Scire enim te oportuerat, dilectissime Pater, quod parens eras nobis ex matre nostrâ, & super gentem tuam non debueras inducere pestem

pestem extraneam. Cumque talia & his similia Berthramnus audisset, conversus ad Palladium Rex ait: Nec tibi o Palladi Episcopo nimium sunt gratia referende. Tertio enim mihi (quod de Episcopo dici iniquum est,) pejerasti, mittens indiculos dolositate plenos: a me excusabaris per epistolas, & germanum meum cum scriptis aliis invitabas. Judicavit enim DEUS causam meam, cum ego provocare vos semper quam Ecclesia patres studui, & vos circa me semper egissetis dolose. Natio autem & Antidio Episcopi dixit: Quid vos, o sanctissimi patres, pro regionis utilitate vel regni nostri sospitate tractastis, edicite. Illis quoque tacentibus, ablatis Rex manibus accepta à Sacerdotibus benedictione ad mensam recedit lato vultu & hilari facie, quasi nihil de contemptu suo fuisset effatus.

LXXXII. Tales cum fuerint eo ævo Episcopi, mirum non est, duris aliquando ab Regibus eos exceptos fuisse. Hinc verò ipsi etiam Episcopi in tantâ rerum omnium perturbatione & afflictissimo Reip. statu affectatæ suæ autoritati prospiciebant, & secularium judiciorum declinatione casus suos sustentabant, seque unos suis causis quibuscunque omnibus decidendis sufficere sensim statuebant, atque ita credi volebant, diris devotentes eos, qui ferocitatem istam suam comprimere aut aliquâ saltem ex parte rescare ausi fuissent. Canoni Matisconensi supra adducto post alia, quæ tum contigerunt, argumenta, præcipuam sine dubio occasionem dedit Theodori Episcopi Masiliensis abductio & captivitas. Susceperat ille primum Gundobaldum, de quo supra dixi, peregrè advenientem, idque malè habuit, nec immeritò, Gunthramnum Regem. Referemus tantùm ea, quæ huc pertinent verbis Gregorii Turonensis ex lib. 8. c. 12. Denique, inquit, cum Rex maximâ intentione Theodorum Episcopum iterum persequi conaretur, & Massilia jam in Childeberti Regis dominationem revocata fuisset, ad discutiendas causas Ratharius illic quasi dux à parte Regis Childeberti dirigitur. Sed postpositâ actione, quæ ei à Rege injuncta fuerat, Episcopum vallat, si de jussore requirit, & ad præsentiam Regis Gunthramni direxit, ut scilicet ad Synodum, quæ Matiscone futura erat, quasi ab Episcopis damnandus adesset. . . . Theodorus verò Episcopus à Gunthramno Rege detentus est. Sed nihil ei Rex nocuit; est enim Vir egregie sanctitatis, & in oratione assiduus, de quo mihi Magnericus Treverensis Episcopus hæc retulit: Ante hos annos cum ad præsentiam Childeberti Regis, ita sub arduâ custodiâ duceretur, ut quodcumque ad Urbem aliquam venisset, neque Episcopum neque quenquam de civibus videre permitteretur, adventante Treveros nunciatum est Episcopo, hunc jam in navi positum clam abduci: surrexitque Sacerdos tristis, ac velociter prosecutus, reperit eum ad litus, causatusque cum custodibus, cur tanta esset impietas, ut non liceret fratri fratrem aspiciere? visque tandem osculatus eum indulgens aliquid vestimenti, discessit &c. Hæc, nisi fallor, fuit causa præcipua & proxima, quæ tam iratos fecit Pa-

tres

tres Matisconenses, ut fulmina sua vibrarent, & tam acerbè potestatibus secularibus fibulam injicerent.

LXXXIII. Et hæc quidem ita tum observata & usurpata fuerunt in Franciâ, quæ tamen utrum æquè recepta & probata fuerint Regibus, haud frustra dubito. In Hispaniâ verò nihil immutatum invenio, sed in Concilio Toletano III. c. 13. anno DXXCIX. reperitum tantum fuit in genere id, quod jam olim decretum obtinuerat: *Diuturna indisciplinatio & licentiæ inolita præsumptio usque adeò illicitis ausibus aditum patefecit, ut Clerici clericos suos, relicto aut neglecto Pontifice suo, ad judicia publica pertrabant; proinde statuimus, hoc de cætero non præsumi. Si quis hoc præsumpserit facere & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.* Refertur à Gratiano c. inolita 11. q. 1. sed verbis ultimis interpolatis & sensu parum congruo. Hoc dicit, non debere clericum à clerico ad iudicem secularem in jus vocari, neglecto Episcopo, h. e. sine consensu & permisso ejus, uti supra ex aliis aliquot Conciliorum decretis sufficienter expositum est.

LXXXIV. Incidit in hæc tempora Gregorii Magni Episcopatus, quem ille per aliquot annos multo cum labore sustinuit. Is verò in iudiciis Clericorum ordinandis non secutus tantum est novellam Justiniani supra allegatam, sed expressis etiam verbis ejus mentionem facit, lib. 11. epist. 56. quâ instruit Johannem Defensorem euntem in Hispaniam: *De Presbyteri, inquit, hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipse adiri debuit, sicut novella constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis ac DEO amabilibus ac reverendissimis Episcopis, clericis ac monachis.* Quibus præmissis ipsa novellæ verba initialia ordine recenset. Ad eundem modum scripsit etiam ad Romanum Defensorem Siciliæ lib. 9. epistol. 32. *Pervenit ad nos, quod si quis contra Clericos quoslibet causam habeat, despectis eorum Episcopis eosdem clericos in tuo facias iudicio exhiberi: quod si ita est, quia valde constat esse incongruum, hæc tibi auctoritate præcipimus, ut hoc denuò facere non præsumas. Sed si quis contra quemlibet clericum causam habuerit, episcopum ipse adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo iudices deputentur: aut si forte ad arbitros eundem est, partes ad eligendum iudicem ab ipso executio deputata compellat. Si quis verò vel clericus vel laicus contra Episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes, ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente sibi iudices eligant.* Recensuit Gratianus c. de persona, § c. pervenit 11. q. 1.

LXXXV. Consimilia scripsit Bonifacio Defensori Corsicæ d. l. 9. epist. 74. quæ compilationi decretalium, c. 4. X. de for. comp. inserta sunt, sed admodum corruptè, & demptis iis, quæ non patiebantur ejus seculi mores. Sic enim legitur in libris authenticis: *Pervenit ad nos, quod quidam Clericorum te illic posito à Laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noveris reputari:*

putari: quia hoc fieri, si homo esses, non debuit. Et idè de cetero sollicitudinem te habere necesse est, ut hoc fieri non permittas; sed si quis contra aliquem clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat. Qui si forè suspectus fuerit, executor vel ab ipso, aut si hoc actor refugerit, à tuâ est experientia deputandus, qui partes sibi mutuo consensu iudices compellat eligere. A quibus quicquid fuerit definitum, ita vel tua vel Episcopi sollicitudine, servatâ lege, modis omnibus compleatur. Conferantur jam verba apud Raymundum, compilatorem decretalium, & constabit, nullatenus convenire ea cum istis, quæ recensuimus, imò nec commodum illa referre sensum. Animadvertenter scilicet collector, Defensores Siciliae, Corsicae & aliarum provinciarum esse magistratus & iudices seculares, quod patet ex tot. tit. & imprimis l. 4. § 6. C. de defens. civitat. & illis largiri Gregorium aliquam potestatem in clericos, id autem non convenire disciplinae suorum temporum, secundum quam nullo modo Laicis permittebatur in negociis Ecclesiasticis & circa clericos disponere aut decernere quicquam. Callidè igitur omisit ea, quæ defensoribus in causis clericorum aliquas tribuunt partes, quos tamen etiam in causis Episcoporum ut iudices admittere, Gregorius non est veritus.

LXXXVI. Habuerunt etiam tum temporis Imperatores adhuc, quod suo jure & diutinâ possessione exercuerant Antecessores. Delatus erat apud Mauritium Imp. Adrianus Thebanæ civitatis Episcopus à duobus diaconis suis propter crimina commissa, simul etiam intentatis causis pecuniariis. Imperator causas utrasque examinandas commiserat Johanni Episcopo Larisæo, hoc tamen cum discrimine, ut de pecuniariis causis cognosceret & sententiam ferret ille ipse, de criminalibus autem, quatenus sese haberent, relationem faceret ad Imperatorem. Hunc procedendi modum non improbat, sed laudat potius Gregorius lib. 2. epistol. 7. & rectam vocat iussionem, objurgatque Johannem iudicem delegatum, quod suo non defunctus fuerit officio. Cognovimus, inquit, Johannem atq; Cosmam diaconos, unum pro lubrico corporis, alterum pro fraudibus Ecclesiasticarum rerum proprio depulsos officio, de pecuniariis criminalibusq; capitulis adversus eum piissimis nostris Imperatoribus suggestisse. Qui per iussiones suas te voluerunt, servatâ videlicet juris canonumque districtione cognoscere: ita ut de pecuniariis quidem ferres firmam jure sententiam; de criminalibus verò eorum clementia, habitâ subtilius examinatione suggereres. Quod si tam rectas iussiones tua fraternitas rectis quoque mentibus accepisset, nunquam viros pro suis excessibus proprio amotos officio, atq; jam immutabilis animi ad accusationem passim sui suscepisset Episcopi. Sequuntur alia haud pauca, quibus procedendi modum delegati illius iudicis perstringit. Tandem ait, appellatione ab Hadriano condemnato interpolatâ, causam ab Imperatoribus delegatam fuisse aliis, & ex horum relatione Hadrianum meruisse absolutionem. Cumque, inquit, porrecta ap-
pellatio

pellatio per homines ejus, ceteraque, quæ penes te gesta sunt, piissimis fuissent deportata principibus, deputatis ut diximus Honorato diacono sedis nostræ, & Sebastiano glorioso antigrapho, cunctisque, examinatis subtiliter à serenissimis est Dominis ab omnibus iussionibus absolutus. Nihil hic improbat Gregorius, nec poterat sanè, quandoquidem, ut supra dixi, Justiniani novellam laudavit ipse & observari voluit. In dictâ autem novellâ centesimâ scil. vigesimâ tertîâ c. 21. statuerat Justinianus, ut si ex Imperiali iussione aut judiciali præcepto Episcopus iudicet inter quascunq; personas, appellatio ad Imperium, aut ad eum, qui transmisit negocium, referatur. Et oppidò notandum est, appellatione ab Episcopo Larissæo interpositâ, causam à iudice ad quem, uti vocant, delegatam fuisse non ecclesiasticæ tantùm personæ, diacono scil. Ecclesiæ Romanæ, sed seculari etiam, Sebastiano scil. glorioso antigrapho seu magistro scriniorum.

LXXXVII. Occasione canonis in Concilio Matisconensi confecti dixi supra, quo in statu tùm fuit Francia, & quâ ratione se exemptos facere voluerint Episcopi, nec se tantùm, sed omnes etiam promiscuè clericos. Seculo VII. verò, anno Christi DCXV. in Consilio Parisiensi, cum deferbuisset impetus ille & studium ἀνομιίας, pristina tùm revocata fuerunt patrum decreta, & statutum can. 4. Ut nullus iudicum neq; presbyterum neq; diaconum vel clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ sine scientiâ Pontificis per se distringat, aut damnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesiâ, cui injuriam irrogare dinoscitur, tam diu sit sequestratus, quamdiu reatum suum corrigat & emendet. Quod supra dixi, canones synodicos breviter admodum & generaliter concipi consuevisse, eosque ex aliis paulo prolixioribus & magis perspicuis vel suppleri vel limitari debere, id etiam hîc contingit. Ne autem longiùs peti necesse sit explicationem, commentarii vice fungi poterit edictum Clotarii II. Regis, quo canones dicti Concilii, eo mox finito, confirmavit. Sic autem ille de negotio præsentis: Ut nullus iudicum de quolibet ordine clericos de civilibus causis præter criminalia negocia, per se distringere aut damnare præsumat, nisi convincitur manifestus, excepto presbytero aut diacono. Qui verò convicti fuerint de crimine capitali, juxta canones distringantur & cum Pontificibus examinentur. Quod si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte præpositi Ecclesiarum & iudex publicus, in audentiâ publicâ positi ea debeant iudicare. Accuratè distinguit causas civiles à criminalibus. Illas non vult à iudicibus secularibus per se h. e. solis sine concursu personæ Ecclesiasticæ dirimi, nisi, quod limitationis loco ponit, manifestè convictus fuerit reus, h. e. illico in limine iudicii appareat de iustitiâ causæ ex parte actoris, sed hoc iterum sublimitat, ut non procedat, si presbyter aut diaconus conventus fuerit. Criminalia autem negocia à solis iudicibus secularibus peragi posse, hæud obscurè prodit, nisi, quod ex-

ceptio

ceptionis loco addit, capitalia fuerint. Tum enim ab utroque iudice, seculari & Ecclesiastico, examen instituendum esse monet.

LXXXVIII. Canones hi anno DCXXX. confirmati sunt in Concilio Remensi *can. 3.* & additum insuper *can. 6.* ut si quis *Judex cujuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare presumpserit, aut pro quibuslibet causis absque conscientia & permisso Episcopi distringere aut contumeliis vel injuriis afficere presumpserit, communionem privetur.* Itemque *can. 18.* ut clerici cujuslibet ordinis *neg. pro propriis, neg. pro Ecclesiasticis causis aliter adire debeant forum, nec causas dicere audeant, nisi quas cum permisso & consilio Episcopi agere eis fuerit omnino permissum.* Nullibi talis statuitur exemptio, quæ excludat omnem omnino potestatem secularem, sed hoc tantum decernitur, judicia secularia adire non debere, nisi cum præscito & consensu Episcopi, nec iudici seculari fas esse, sine tali permisso Clerici cujuslibet causam tractare. Non quod ex tali permissione potestatem primùm de causâ cognoscendi accipiat iudex secularis; sed quod eam jam antea possessam exserere nequeat, priusquam Episcopus consenserit. Facit autem Concilium istud nullam omnino differentiam inter causas, sed siue civiles illæ fuerint, siue Ecclesiasticæ, utrasque subicit cognitioni iudicis secularis, si Episcopi adfit consensus.

LXXXIX. In Hispaniâ etiam hoc ævo iudicibus secularibus in familiam Ecclesiæ aliqua relicta fuit potestas, et si eis juncti fuerint aliquando ex Clericis nonnulli. Anno Christi enim DCLXVI. in Concilio Emeritensi *c. 15.* placuit, ut *omnis potestas Episcopalis modum suæ ponat iræ, nec pro quolibet excessu cuilibet ex familiâ Ecclesiæ aliquod corporis membrorum suâ ordinatione presumat extirpare aut auferre.* Quod si talis emerferit culpa, *advocato iudice civitatis ad examen ejus deducatur, quod factum fuisse asseritur.* -- -- *Similiter & quia comperimus aliquos presbyteros a gravitate accedente familiæ Ecclesiæ sue imponere crimen, dicentes, ex eâ homines aliquos maleficium sibi fecisse, -- -- discernimus, ut si presbyter talia pati se dixerit, ad aures hoc sui perducatur Episcopi, ipse autem datis bonis hominibus ex latere suo iudicem hoc jubeat querere &c.* Utroque quidem casu post cognitionem iudicis secularis Episcopo integrum fuit discernere, quousque poena locum habere debeat, nihilominus tamen instructio ipsius iudicii per secularem iudicem fieri debuit; sed qui, quæ corruptela jam tum invaluit, nudum videtur Episcopo præbuisse ministerium. Distinctionem ex hoc canone elicit Nicolaus le Maître *de bon. Eccles. lib. 3. c. 7.* inter crimina & maleficia. Illa dicit pertinere ad cognitionem iudicis civitatis: hæc verò ad Episcopi & ejus missorum spectare cognitionem. Sed nisi totus ego fallor, utrobique canon exigit cognitionem iudicis secularis. Et maleficium non fuisse distinctum à crimine, sed de utroque cognitione

gnitionem pertinuisse ad iudicem secularem patet ex supra adducto *can. 7. Concilii Matissonensis I.*

XC. Quæ deinceps habita fuerunt Concilia, seculo præsertim VIII, repetierunt plerumque ea, quæ antehac constituta fuerant. Sic enim Concilium Vernense *c. 18.* provocavit ad canonem Carthaginensem, eumque ad verbum recensuit: Concilium Aquisgranense sive Capitulare potius *c. 28.* ad Canonem Chalcedonensem, & *cap. 38.* ad ante dictum Carthaginensem. Nec dubium tamen est, solitos fuisse sæpe numero Episcopos cristas erigere, sibi que potestatem aliquam arrogare exsuperantem, & involare in iura magistratuum secularium. Præter modum enim ætas ista genio indulgebat, omnique turpitudinis generi dedita erat; neque inter seculares tantum, & Laicos, uti vocant, immania serpebant crimina; sed ipse etiam Clericalis ordo sædisimè corruptus erat. Dormientibus igitur iudicibus, & magistratibus omnibus ad atrocissima delicta conniventibus, suarum esse partium putarunt Episcopi, qui quidem castigatioris disciplinæ exempla esse volebant, ut non impunita profus manerent vitia, omni modo cavere. Nec aliâ ratione etiam civiles controversiæ Episcoporum iudicio submissæ fuerunt, quod nullus tum esset inter seculares, qui vel mediocriter tantum à doctrinâ instructum se exhibere potuisset; inter Episcopos verò oppidò pauci, hoc tamen meliores, quod propter sanctitatem officii confidentiore in eos animo essent cives.

XCI. Sub Karolo Magno, cujus imperium seculo VIII. efflorescere coepit, multo laxior & potentior facta est conditio Episcoporum. Postquam enim ille Saxones post illatas tot ingentes clades devicisset tandem, plurimos inter illos instituit Episcopatus, atque Episcopis amplissimam concessit dignitatem atque autoritatem, eo consilio, ut gentes recens conversæ institutione Episcoporum perficerentur, & sacrâ istâ eorum autoritate in fide & obedientiâ continerentur. Sed & inter Consiliarios adscivit Episcopos, & comitiis Regni interesse voluit Carolus, ut eo promptius, quod placitum esset, inter dicæsanos deinceps executioni mandari posset. Refert Hincmarus Episcopus Remensis *in epist. ad proceres Regni pro institutione Carolomanni Regis* & *de ordine palatii ex Adalardo, quem propinquum fuisse ait Caroli Magni* & *monasterii Corbejæ Abbatem, & inter primos consiliarios primum.* Consuetudo tunc temporis talis erat, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum, quando ordinabatur status totius Regni ad anni ventis spacium, quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto Regno incumberebat, mutabatur. In quo placito generalitas universorum majorum tam Clericorum quàm Laicorum conveniebat, Seniores propter consilium ordinandum: minores propter idem consilium suscipiendum, & interdum pariter tractandum &c. Et hinc adeò vix quicquam agebatur, in

Rrrr

gra-

gravibus negociis, in quo non meminissent consensus vel consilii Episcoporum simul ac procerum. Testis ipse Karolus in principio Capitularis Aquisgranensis: *Considerans pacifico pie mentis intuitu, una cum sacerdotibus & consiliariis nostris, abundantem in nos nostrumque populum Christi Regis clementiam &c.* Eaque intentione idem Karolus de successione in Imperio filio suo confirmandâ cum statibus tam Clericis quam Laicis deliberavit, uti refert Theganus Chorepiscopus Trevirensis *de gest. Ludov. Imp. c. 6.* Imperator (Karolus M.) *cum intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui, vocavit filium ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani in palatio pacifice & honeste admonens, ut fidem erga filium ostenderent, interrogans omnes à maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, id est, Imperatoris titulum filio suo Ludovico tradidisset, illi omnes responderunt &c.*

XCII. Ad ista dignitatum & honorum fastigia dum promoti fuerunt Episcopi à Karolo, mirum non est, multo ampliorem etiam iudiciis eorum concessam fuisse auctoritatem. Uti enim ex capitularibus apparet, non repetita tantum identidem & legibus promulgatis inserta fuerunt decreta conciliorum superius memorata, sed addita etiam quandoque poena secularis. Ita enim constitutum legitur *lib. 5. c. 225.* Nemo audeat clericum aut monachum vel sanctimonialem feminam ad civile iudicium accusare, sed ad Episcopum & ipse ex lege vel canonibus consentaneam ac justam sententiam proferat. *Hec omnes Episcopi custodiant & omnes fideles sancte DEI Ecclesie & nostri provinciarum praesides procurent, quorumcunque clericorum vel monachorum & sanctimonialium lites dirimere. Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu positus decem librarum auri poenam multabitur. Si executor est, in decanicis Ecclesiarum recludatur poenas luiturus & officium perdat.* Imitatus hic est Karolus Justinianum, *novell. 79. c. 3.* similes poenas decernentem. Eodem pertinet, quod in legibus Longobardorum *lib. 3. tit. 1. c. 11.* statutum habetur. *Volumus primo, ut neque abbates, neque presbyteri, neque diaconi, neque subdiaconi, neque quilibet de clero, de personis suis ad publica vel ad secularia trahantur, vel distringantur, sed à suis Episcopis iudicati justitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis sive suis propriis super eos clamor ad iudicem venerit, mittat iudex clamantem cum misso suo ad Episcopum, ut faciat ei per advocatum justitiam percipere. Si vero aliqua inter eos fuerit orta contentio, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tunc per advocatum Episcopi qualem jusserit, causa ipsa ante Comitem veniat vel iudicem, & ibi secundum legem finiatur.*

XCIII. Sed & deceptus fuit Karolus Magnus, dum *lib. 6. cap. 281.* spuriam illam, quam supra eliminavimus, Constantini Imperatoris constitutionem, ut genuinam propofuit. Et hanc Karoli auctoritatem secutus
Inno.

Innocentius III. Pontifex c. 13. de iudic. constitutionem istam adversus Philippum Augustum Regem Franciæ ex stirpe Karolinâ progenitum intorquere eumque suo iudicio subiectum profiteri haud fuit veritus. Theodosio eam adscripsit Pontifex erroneâ verborum Caroli interpretatione, qui eam ex XVI. Theodosii Imperatoris libro, h. e. ex Codice Theodosiano, se recensere scripserat. Alium porrò errorem Innocentius commisit in eo, quod Philippum Regem ex Karolinâ stirpe prognatum adserat, unde inducti fuerunt nonnulli, ut Hugonem Capetum, cuius trinepos fuit Philippus Augustus ex Carolo Magno originem genusque traxisse statuerent. Id verò falsum esse ostendit Dionysius Petavius in *Ratiocinario temp. lib. 8. cap. 14.* Quicquid huius sit negari nequit, à Karolo Magno repetitam fuisse eam constitutionem & ut legem propositam, tali quidem cum præfatione: *Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ DEO auxiliante subiecti, tam Romani, quam Franci, Alamanni, Bajuvarii, Saxones, Thuringii, Fresones, Galli, Burgundiones, Brittones, Langobardi, Wascones, Beneventani, Gothi, Hispani, ceterique nobis subiecti omnes, licet quocunque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex XVI. Theodosii Imperatoris libro, capitulo videlicet 12. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra capitula pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum tam clericorum, quam & Laicorum posuimus, lege cunctis perpetuâ tenendam &c.* Autoritatem igitur accepit constitutio ista non à Theodosio, cui falsò afficta fuit, sed à Karolo, qui eam lege latâ proposuit.

XCIV. Nec tamen ita exemptos fecit Karolus in Imperio suo Clericos, ut nulla amplius Laicis in eos esset iurisdictio quin reservavit potius, ut si Episcopi non velint, aut non possint causas dirimere, licita adhuc esset aditio ad iudicem secularem. Quin & Missi Regii ex utroque ordine, i. e. Clericali & Laico selecti, quotannis munere suo defungebantur, & non in Comitum tantum & iudicum pravitates animadvertabant, sed etiam inquirebant, qualiter Episcopi, Abbates, & Abbatissæ per singulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam adinvicem tenerent, & ut bonos & idoneos Vice domnos & Advocatos haberent, & undecumq; necesse fuisset, tam regias, quam Ecclesiarum DEI iustitias, viduarum quoque & orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirerent & persicerent, & quodcumq; emendandum esset, emendare studerent, in quantum melius possent, & quod emendare per se nequissent, in præsentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem principi fideliter renunciare studerent: uti eorum officium describit Flodoardus l. 2. hist. Remens. cap. 18.

XCv. Eâ ætate dedit Hadrianus Papa Ingilramno Mediomatricæ Urbis Episcopo capitula quædam, quæ recensentur tom. 2. Concil. Gall. pag. 99.

Rrrrr 2

atque

atque inter ea de canonicæ accusationis ordine sub num. 7. Accusationis ordinem dudum canonicis institutum decretis servari jubemus. Ut si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit, non statim reus æstimetur, qui accusari potuit, ne subjctam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium (in capitularibus, quæ à Lindenbrogio edita sunt lib. 7. c. 338. additum hic legitur, *Episcopale*, quod à descriptoris manu videtur insertum) veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripit, custodiæ similitudinem, habitâ tamen dignitatis æstimatione, patiat: nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. Non potest capitulum hoc accipi de iudicio Episcopali. Supplicii enim vocabulum, qualiter à Paulo Jcto lib. 5. sentent. c. 17. explicatur, non videtur convenire censuris Ecclesiasticis, & ut maximè de suspensione fortè aut remotione interpretari velis, non poterit tamen ea locum habere in calumniatore laico. Sed & reliqua omnia, quæ de accusationibus civilibus lancita olim fuerunt, ut est inscriptio, similitudo custodiæ, &c. applicari minime poterunt iudiciis Ecclesiasticis. Fuit quidem id, quod de inscriptione dictum est, etiam in Concilio Constantinopolitano l. can. 6. decretum; Sed cum de ejus canonis authenticâ & autoritate, ideò, quod in Latinis Dionysii Exigui & aliorum versionibus non inveniatur, adhuc dubitetur, nec appareat, quâ ratione ista talionis pœna in quovis calumniatore expediri commodè queat, vix erit, ut aliquod inde peti possit firmiter.

XCVI. Inter ipsos Episcopos, itemque abbates, si qua controversia exorta fuerit, perinde ut inter Comites, cognitionem sibi reservavit Karolus, certissimo iudicio, etiam reliqua iudicia Ecclesiastica, ad quæ Clericis inferioris ordinis provocare licet, à suâ dependere autoritate, atque tota adeò ista privilegia ab Imperatore concessa, & hinc majestati civili accepta ferenda esse. Ut Episcopi, inquit, l. 3. c. 77. abbates, comites & potentiores quiq; si causam inter se habuerint, ac se pacificare noluerint, ad nostram jubeantur venire presentiam: neque illorum contentio aliubi dijudicetur, ne propter hoc pauperum & minus potentium justitiæ remaneant. Neque ullus Comes palatii nostri potentiorum causas sine nostrâ jussione finire presumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium justitias faciendas sibi sciat esse vacandum. Qui inter Episcopos & abbates judicare potest ipse, non obstante, quod sacris initiatus non sit, & quod inter Laicos summus atque præcipuus existat, nihil certè obstabit, quo minus inferiora alia iudicia constituere queat, in quibus clericorum causæ examinentur, quæque perinde, ut alia quævis iudicia secularia, ab ejus autoritate dependant. Sæpè enim dixi, potestatem talem competere Principi jure proprio, & ut sunt Rectores civitatis vel communitalis suæ.

XCVII. Imò

XCVII. Imò verò ipsi etiam Pontifices haud recusarunt de actionibus suis iudicium Imperatoris & missorum ejus experiri, suaque negocia eorum censuræ submittere. Extat apud Gratianum c. nos si incompetenter 2. q. 7. fragmentum epistolæ ab Leone IV. ad Ludovicum Augustum scriptæ, nisi potius Leoni III. ea adscribi debeat, uti putat Dn. Conringius ad Leonis III. epistolæ in fin. p. m. 106. Ejus hæc sunt verba: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus: vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio: quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus: certè non veritatis discipuli, sed, quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnoperè clementiam imploramus, ut tales ad hæc quæ diximus perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui DEUM per omnia timeant, & cuncta, quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria, diligenter exquisant, & non tantùm hæc sola, quæ superius diximus, querimus, ut amussim exagitent: sed si ve minora si ve etiam majora illis sint de nobis indicata negocia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ex eis indissolubile vel indiffinitum remaneat.* Utrum epistolæ huic causam dederit, quod Leo criminis læsæ majestatis propter attentatam translationem imperii ad Græcos insimulatus fuerit, uti putat Carolus Molinæus præfat. ad edit. Henrici II. cont. parv. dat. n. 13. non est, ut prolixè hic discutiamus. Sufficit nobis, tali cultu Ludovicam à Leone fuisse affectum, ut suas actiones iudicio ejus submittere non dubitaverit.

XCVIII. Nunquam igitur vel Carolus Magnus, vel Successores ejus omnem ita in clericos potestatem jure divino eis competentem per iudicia, specialiter Episcopis concessa, ita abdicarunt, ut non liceret subinde ea manu Regiâ temperare, eisdemque modum ponere, et si quotidie majora Episcoporum autoritati darent incrementa. De Ludovico Pio Karoli filio refert Helmoldus lib. 1. histor. c. 4. quod *maximâ liberalitate erga DEI cultum usus fuerit, in tantum, ut Episcopos, qui propter animarum regimen principes sunt cæli, ipse eisdem effecerit principes Regni.* Nihilominus idem Ludovicus profitetur, utriusque ministerii Ecclesiastici & secularis summam in suâ personâ consistere, sibi que adeo incumbere, ut monitorem se præstet, quò unusquisque in suo officio & ordine partem ministerii regii exerceat, ut ve, si quis contumax fuerit, suâ autoritate talem coërceat. Digna sunt verba ex lib. 2. capitul. 3. quæ hic adscribantur: *Sed quanquam summa bujus ministerii (agit autem de utriusque ordinis, Episcoporum scilicet & Comitum officiis, quos utrosque etiam tùm congregatos alloquitur) in nostrâ personâ consistere videatur, tamen & divinâ auctoritate & humanâ ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur.* Unde apparet, quod ego omnium vestrum

strum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adiutores esse debetis. Nec enim ignoramus, quid unicuique vestrum in sibi commissâ portione conveniat: & ideo prætermittere non possamus, quin unumquemq; juxta suum ordinem admoneamus. Sequuntur deinceps admonitiones quamplures, in primis verò c. 4. ad Episcopos, ut tam bene vivendo, quam recte prædicando populis sibi commissis iter vite præbeant. Tandem c. 12. utrosque iterum unâ oratione alloquitur: Et quoniam, sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dignoscitur, volumus studere, & per clamatores, & per alia quælibet certa indicia, & per missos nostros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis comperire, qualiter scilicet Comites justitiam diligant & faciant, & quam religiose Episcopi conversentur & prædicent: & amborum relatu de aliorum in suis ministeriis consistentium equitate & pace atque concordia cognoscere.

XCIX. Adeundem modum anno DCCCXLIII. auctoritatem suam interposuit Carolus Calvus, cum adversus Episcopos suos presbyteri Septimaniæ querelas aliquot movissent, uti patet ex Capitulari Tholosano tum temporis edito. Conjecturâ prospexerat ille, & odoratus fuerat, male propterea presbyteros ab Episcopis exceptos fore, idcirco præmisit cap. 1. Ut Episcopi nullam inquietudinem sive exprobrationem presbyteris aut aperte ingerendo, aut aliâ quâlibet occasione machinando, pro eo, quod se ad nos hæc vice reclamare venerunt, inferant: quia longa oppressio hujusmodi itineris eos fecit subire laborem. In sequentibus plurima emendat, quibus oppida graves presbyteris fuerunt Episcopi, & tandem, qui conjectare animo poterat, Episcopos ex aliquot Conciliorum auctoritatibus atque perversâ canonum interpretatione iniqua sua postulata defensuros, hanc c. 8. addidit cautelam: Ut Episcopi sub occasione, quasi auctoritatem habeant canonum, his constitutis excellentiæ nostræ nequaquam resultent, aut negligant, sed potius canones, ut intelligendi sunt, intelligere, & in cunctis observare procurent. Quia si aliter fecerint, omnimodis & qualiter canones fidelium decimis agendum statuunt, & qualiter intelligi ac observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, Synodali disjudicatione & nostrâ auctoritate Regiâ docebuntur. Quantum conjecturâ assequi licet, videtur decimarum jacturâ punire voluisse Carolus Episcopos edicto huic suo minus obtemperantes.

C. Ex actis verò ejus ævi apparet, ægrè tulisse Episcopos tum temporis, si quando in judiciis suis Reges corripere eos & in ordinem cogere conati fuerint. Offenderat Carolum Calvum Hincmarus Laudunensis Episcopus, nepos ex fratre Hincmari Archiepiscopi Remensis, tum, quod Sacramenta Regi præstita non observasse diceretur, tum verò, quod beneficia per vim atque injuriam quibusdam ademerit. Carolus igitur eum ad seculare

lare iudicium venire iufferat. Indignè id ferens Hincmarus Remensis prolixam & multis testimoniis refertam epistolam scripsit ad Carolum Calvum, eique exprobrat, quod contra canones & constitutiones majorum Episcopum ad iudicium seculare trahere haud fuerit veritus. *Audivi, inquit, quia residentibus vobis cum fidelibus vestris, coram fratre & coepiscopo nostro Hincmaro, filius Ludonis ad vestram dominationem se reclamavit, quia isdem frater noster ab eo exenium acceperit, & patris sui beneficium ei donaverit, & deinde ab eo irrationabiliter tulerit, & ex hac ratione fortè minus necessaria gravitatis cautela, quæ in Episcopo non modicum est ornamentum, adeò animus vestrae Serenitatis fuerit commotus, ut eundem Episcopum coram omnibus & voce publica quamplurimis contumeliis affeceritis, quæ sacerdotali Ordini à nullo homine minime autem à Rege, in quem sicut & in Episcopum omnium oculi sunt intendenti, impeti competit. . . . Deinde iussistis præfatum Episcopum, ut die & loco denominato veniret ad causas vestras, id est, ad iudicia secularia & suum advocatum de suo capite, videlicet de suo, quod ipse egit actu, id est non conscio quocunque Coepiscopo suo donaret, qui mittens ad dominationem vestram excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi mandavit, requisita est, quam patriotica lingua vocamus exoniam, qui venire nequiverit, quod hætenus est inauditum, & requisito & non invento advocato illius, qui de ejus capite ex prædicta causa redderet rationem, exceptâ Ecclesiâ & Episcopii domo ac Clericorum claustro, quicquid de rebus & facultatibus Ecclesiasticis sibi in Episcopali ordinatione munere Spiritus S. ad gubernandum & dispensandum commissis acceperat, jussione vestra per vice comitem ipsius pagi in bannum quod jus linguæ latinæ proscriptio conscribendi vocatur est missum: & postea sicut audivi per Cancellarium palatii vestri mandastis, Vice Domino & Preposito ipsius Ecclesiæ cum non modica interminatione, ut providerent, quatenus nullum obsequium ab Ecclesiæ ipsius hominibus, nullumque subsidium de facultatibus Ecclesiasticis per Clericum vel Laicum ipse Episcopus posset habere &c.*

Cl. Non adeò bono animo erat Hincmarus Remensis in Hincmarum Laudunensem, multasque adversus eum querelas tum privatim tum publice non unis vicibus movebat, quod ab eo jura sua metropolitana interverterentur, & monita sua nullatenus observarentur. Sed cum per istud Caroli Calvi factum causa Episcoporum communis in periculum conjici animadverteret, Hincmari Laudunensis partes defendere hætenus non dubitavit. Cumque idem Laudunensis Hincmarus deinceps in aliâ causâ relictæ Ecclesiæ iudicio seculares iudices à Rege experitisset, & iudicata retractari fecisset, Hincmarus Remensis in Synodo Duziacensi I. speciali libello etiam hæc de re graviter eum accusavit, multisque verbis hoc ejus factum exprobravit. Sic enim in dicto expostulationis libello cap. 19. proposita fuit querela; *Et evoluto duorum circiter mensium spacio, postquam nota*

ausu-

ausugit ab Attiniaco, ante diffinitionem causarum, de quibus apud Metropolitanam auctoritatem electos iudices expetivit, quibusdam machinationibus exquisitis ab eo iussio est principalis elicitata, ut de quibus electos iudices secundum sacros canones accepit, non solum eorum querela, quorum causasque ad alium tractatum diffinienda remansit, verum & quæ ut dixi in Domni Regis presentia electorum iudicum sententia decisa fuerint, sine Metropolitanæ conscientia sineque canonico & Episcopali iudicio per iudices seculares, Helmigarium scilicet Mercatipalatii Telonearium & Flotarium ac Ursionem villarum regiarum majores refricarentur. Contra canones, qui ab Ecclesiasticis ad majoris auctoritatis ecclesiasticos iudices & non à majoribus ad minores nec ab Ecclesiasticis ad seculares, neque à consensu partium electis provocari permittunt &c.

CII. Utrobique Hincmarus farraginem adjicit testimoniorum, quibus suam tueri putat sententiam, quasque supra plerasque recensuimus. Præterit autem consulto & dedita operâ alia, quæ adversæ parti magis favore visa fuerunt. Jam enim occupaverat mentes opinio, quæ majora deinceps incrementa cepit, auctoritatem istam judiciale Episcopis competentem ex jure divino suam habere originem, & propterea nec Imperatoribus potestatem esse quicquam adversus Clericos suos decernendi. Neque verò potestatem suam supergressus immodicè fecit quicquam Karolus Calvus, dum in Hincmarum Laudunensem gravius aliquid statuere ausus fuit. Præcuntes habuit antecessores suos, inprimis verò Constantinum M. qui haud veritus est remotionem Episcopis interminari, qui edictis suis parere insuper habuerint. Convocaverat is Episcopos ad Concilium Tyrium, eisque, qui venire recusarent, apud Theodoretum lib. 1. cap. 29. graves has denunciavit minas: *Si quis, quod minimè arbitramur præceptum nostrum etiamnum violare præsumens, adesse renuerit, mittetur quamprimum à nobis aliquis, qui Imperiali auctoritate hominem in exilium pellens, docebit, Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minimè esse repugnandum.* Hincmarus autem Laudunensis provocationem ad iudicium seculare à se factam tueri potuit constitutione Justiniani novellâ 123. cap. 21. quæ nusquam diserte revocata fuit. Hæc verò adducere omisit Hincmarus Remensis, quod suæ exprobrationi adversa essent, & Imperatoribus arma subministrarent, quibus tam enixè affectatum imperium Ecclesiasticum impugnare possent.

CIII. Ejusdem Karoli Calvi exemplum in aliâ facti specie ostendit, animadversione Imperiali dignos habitos fuisse Episcopos, qui imperio adversi extitissent, aut regimen qualicumque modo turbassent, etsi id fecissent papali auctoritate muniti. Hadrianus Papa commotiore fuerat animo in Karolum, quod is vacuum Regnum Lothariense, post obitum scilicet Lotharii, occupasset, idque cum Ludovico Germaniæ Rege æquis portionibus

nibus divisisset, injuriam fieri ratus Ludovico II. Imperatori, qui superites Lothario frater erat. Idcirco non comitibus tantum & primoribus Regni, sed etiam Episcopis, qui Karolo in eâ re adjuutores fuerunt, & ipsi denique Karolo excommunicationem minatur, nisi ab instituto desisteret. Hincmaro autem Remensi specialiter hoc negocium committit, ut sua ista monita exequi & urgere omnibus modis conetur. At verò pessimè ista cesfit Hincmaro data provincia. Uti enim refert ipse in epistolâ ad Hadrianum, quæ habetur in ejus operibus tom. 2. u. 41. nihil territi fuerunt Regni primores neque Rex ipse, suâ istâ denunciatione, sed contrariis minis sibi restitisse ait, nisi desisteret, jacturam sibi metuendam esse bonorum, quibus hactenus fructus esset. *Presentibus, inquit, vestris missis ad eò ex vestrà jussione verbis restiti Regi ac regnorum primoribus, ut coram eisdem missis comminaretur mihi, quoniam si in meâ sententiâ, permanerem, ad altare Ecclesiæ meæ cantare possem, de rebus verò hominibus nullam potestatem haberem.* Coërceri igitur Episcopos à potestatibus secularibus eo tempore nondum fuit ita absurdum, uti hodiè statui communiter solet, etsi id hominibus ut perfvadetur, omnem jam tum movere lapidem cœperint Ecclesiæ Doctores nonnulli.

CIV. Vidimus ita per integra novem secula, qualis fuerit à primis Ecclesiæ originibus iudiciorum Episcopaliū, uti vocantur, conditio. Longius ire, & instituti ratio prohibet, & sequentium seculorum barbaries, tum & ipsorum Episcoporum inconditi atque efferi mores. Quâ temporum iniquitate contigit, ut quæ imperio & Ecclesiæ competerent, neque discernentur amplius, neque relinqueretur, quod cujusque proprium esset. Ipsa barbaries tum temporis in Urbe Româ sedem suam posuisse videtur, unde tanquam ex arce copias suas mitteret in Ecclesiam omnem Occidentis. Præstat igitur abstinere ab ulteriore inquisitione, præsertim cum ad *deinceps* pervenerit de Clericorum exemptione jure divino competente doctrina plusquam præsumptuosa. Ex dictis autem liquet, in veteri Christianismo nullos Episcopis fuisse officiales, neque carceres eos habuisse, vel autoritatem coactivam, etsi negari nequeat, sub infidelibus Principibus fideles in causis & litibus suis, ubi liberum eis erat, potius ad arbitros Christianos recurrere debuisse, quam ad hostes professionis suæ, non tanquam ad iudices propriè dictos, sed tanquam ad amicos conciliatores: Ab Imperatoribus verò Christianis postea forum eis speciale concessum, quibus Clerici suas expedire possent lites, id verò ita accipi non debere, ut ipsos autoritate suâ se spoliassent, omnemque in Ecclesiasticas personas potestatem abdicassent dicamus, neque eum in finem privilegia talia concessa esse, ut eos ab obsequio suo subducerent, sed potius, ut minore cum scandalo & compendiosè magis eorum causæ decidi possent. Quod igitur ex intentione

tione concedentium honoratum illis aut honorificum esse debuit, non debet infecti & usurpari in detrimentum & perniciem concedentium, cum præsertim per tot seculorum decursum suam subinde auctoritatem interposuerint Imperatores, sibi que in Clericos potestatem suo jure, & quia Principes sunt, competere multifariam comprobaverint.

CV. Intuenti autem & consideranti non originem tantum, sed incrementa etiam & causas, quæ judicia Episcopalia ad tam exsuperantem auctoritatem evexerunt, præter privilegia ab Imperatoribus concessa, plurimæ occurrunt aliæ, quæ in cumulum accesserunt toties affectatæ *divinis*. Primum enim multum contulit ad eam rem Episcoporum ad dignitates seculares & officia aulica promotio. Clerici enim aliquando non in Consiliarios tantum adsciti, sed curiis etiam & tribunalibus Regiis præfati fuerunt, ita ut Cancellarii quidam, quidam justitiiarii, quidam thesaurarii, quidam Camerarii, aliisque officiis publicis ornati essent, idque in Britannia maximè receptum fuit. Alii integra territoria habebant, quibus imperabant eminentiori quâdam potestate. Istæ verò dignitates non patiebantur, ut adstricta & Imperatorum dispositioni subiecta essent judicia diocesana. Et fieri hinc solebat, ut Imperatores & Reges etiam ipsi conriverent, si quid extra ordinarium & consuetum morem gestum fuisset, præsertim si tanta Episcoporum in Remp. essent merita, ut eis indulgendum aliquid esse putarent, non animadvertentes interim, quantum aliquando Reip. damnum inde exoriturum esset.

CVI. Deinde ampliora etiam facta fuerunt judicia Episcopalia ex eo, quod sub spiritualis causæ obtentu suam esse & debere inter Laicos cognitionem à se expediri, conquistis quibusdam ratiunculis statuerint, atque ipso facto frequentissimè tentaverint. Sub prætextu enim peccati incidentis, & maximè perjurii, quasvis Laicorum causas civiles trahere ad forum suum ausi fuerunt Episcopi. Idque similiter tentavit Innocentius III. Pontifex, quippe qui haud veritus fuit inter ipsos Reges de provinciis contententes suam interponere auctoritatem, & ex solo prætextu violatæ charitatis atque commisi perjurii judicium constituere. Digna est res, quæ ex c. 13. *de judic.* breviter dilucidetur. Defuncto sine liberis Richardo I. Angliæ Rege superstites erant frater ejus natu minimus Johannes, & ex altero fratre natu majore Goffredo sive Galfredo nepos Arturus. Johannes in Regno succedebat, excluso Arturo & deinceps occiso, quod sibi metuerent ab illo, ne aliquando Regnum invaderet, quippe qui, ut multi sentiebant, jure repræsentationis in successione præferri debuisset. Id facinus indignè ferens Philippus Augustus Rex Galliæ propter singularem affectionem, quâ Arturo junctus erat, causatus & alia, quæ reum facere poterant Johannem, ei diem dicit apud Curiam parium, utpote Vasallo suo. Quem post

post repetitas citationes, cum non comparuisset, feudo indignum & propterea Ducatu Normanniæ & Aquitaniæ, itemque Comitatu Pictonum, Andium & Cenomanorum excidisse pronunciarunt iudices. Ad exequendam istam sententiam cum validâ manu Normanniam ingressus Philippus pleraque loca omnia subegit. Quo rerum statu cum impar ei viribus esset Johannes, apud Innocentium III. Pontificem conqueritur, injustum sibi à Philippo illatum fuisse bellum, nec servatum ab eo iuramentum, quo pactas secum inducias confirmaverit, paratum idcirco se esse iudicio contendere, ut iniquæ Philippi actiones eo magis patescerent. Innocentius, cum per legatos movere non posset Philippum, ut ab armis desisteret, & iudicio ab se constituto decertaret, interdicti sententiam, nisi is paruerit, promulgare constituit, uti patet ex c. 7. §. de off. leg. & c. 43. §. de appellat. Quæ res cum attonitos redderet prælatos Franciæ, & suspicio inde nata esset Pontifici, minus observatum iri hoc suum interdictum, quod in Regem illi propensiores viderentur, prolixas ad eos mittit literas, quibus & rationes reddit sui processûs & conquestis variis argumentis eis persuadere intendit, justè à se promulgari tale interdictum, & sibi proinde ab eis obedientiam deberi, neque Regem justam habuisse causam declinandi iudicium à se constitutum.

CVII. Causa, quæ inter duos istos Reges vertebatur, erat merè civilis, & quidem propter commissam feloniam privationem feudi concernens. Agnoscebat Pontifex, ejus cognitionem ad se non pertinere, additâ tamen exceptione, quæ ὕπερδὸν π̄ continet. *Non enim, ait, intendimus iudicare de feudo, cujus ad ipsum spectat iudicium, nisi fortè juri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum.* Quo casu non obscure prodit, etiam feudales causas, quibus de regalibus feudis disceptatur, si in Curia feudali injusta lata fuerit sententia, ad suam cognitionem pertinere. Sed ut exactius constet, quo jure sibi talem potestatem asserat, in genere mox definit, decernere de peccato ad suam pertinere censuram, & ut applicatio fiat ad rem præsentem, duplex ab Rege Philippo dicit commissum fuisse crimen, fractæ pacis & perjurii; utrumque ad suum pertinere iudicium; primum, quia per id solvitur vinculum charitatis, alterum, quia in religionem & cultum divinum immediatè committitur. Utriusque ergo coercitionem ad Ecclesiam spectare, quæ operam dare debet, ut charitas inter Christianos salva, utve religio in violata servetur.

CVIII. Verum enim verò si propter charitatem læsam iudicium Ecclesiasticum adeundum fuerit, nullæ omninò causæ discutiendæ manebunt in iudiciis civilibus, sed facili negotio omnes trahi poterunt ad forum Ecclesiasticum, cum vix ulla proponi poterit, cui non aliquam injustitiæ cum charitate pugnantis notam inurere liceat. Poterunt igitur actores, ad

declinandum iudicium seculare ordinarium, petere in libellis suis, peccare reos suos adversarios & in peccato perseverare, dum suis desideriis non satisfaciunt, & puniri idcirco debere in foro Ecclesiastico: aut verò poterunt ipsi etiam Episcopi sub tali prætextu causam à iudice seculari invocare, aut, quod hic facit Pontifex, iam decisam denuò in certamen revocare, eum tantum in finem, ut suam amplient jurisdictionem. Id verò immanem in litibus dirimendis excitabit confusionem. Nec alia perjurii ratio est. Posset enim ita cuivis negotio civili iuramentum addi, eum in finem, ut causam deinceps ad forum Ecclesiasticum trahere liceret. Idque cum factum aliquando in Gallis & hac ratione iurisdictionis secularis penè vacua & inanis reddita fuisset, decreto Senatûs Parisiensis vetitum refert Antonius Dadinus Alteserra *add. c. 13.*

CIX. Tali modo cum procederent Episcopi in Germaniâ alii, Principes in Comitibus Noribergensibus anno MDXXII. congregati inter gravamina sua Oratori Pontificio exhibita, *sub num. 64.* singulare hoc recensuerunt: *Insuper* *§ id presumunt Officiales, si quando in causis prophanis ac inter personas Ecclesie minimè sacratas, dicatasve, sed omninò Laicas, datâ fide seu prestito iuramento verbo vel in scriptis pacta, obligationes, contractus vel promissiones factæ sint vel celebratæ, quod eam ob rem atque hujus prætextûs ratione tales prophanæ Laicæq; causæ coram ipsis potiùs, quam ordinario iudice agitari debeant. Quæ nova Ecclesiasticorum teebna usu si increaseret ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili causarum auditorio, quod omnes prophanæ civilesq; causæ contractuum atque transactionum hac viâ necessariò ad Ecclesiasticos pertraherentur. Quis enim contractus, quæ transactio, quæ deniq; inter paciscentes conventio, quæ non sit solempni ita stipulatione aut promissione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderentur iudicia: quod nedum contra equitatem ipsam, contra omnia jura scripta, sed *§* civili magistratui intolerabilis foret. Nam ut demus hoc interim Ecclesiasticis iudicibus, de perjurio commissio notionem ut habeant, nihil magis per id causæ ipsius principalis, contractus puta aut transactionis, quam obrem ille pejeravit, iudices competentes erunt, qui perjuros illos ob religionis transgressionem manifestariam tantum iudicio convenire possent, ac canonicam huic indicere multam, reservatâ tamen civili magistratui, qui perjuros pœnali iudicio secundum civiles sanctiones plectere jus habent, commissâ sibi ob id pœnâ.*

CX. Porro magna etiam iudicii Episcopalis accesserunt incrementa ex eo, quod causas aliquas mixti fori esse statuerint, h. e. tales, quæ tum in civili & seculari, tum in Ecclesiastico foro ventilari queant, quodque eas numero auxerint sæpè, & latiùs earum sphaeram extenderint, quam natura causarum Ecclesiasticarum admittit. Et in his namque præventioni locum esse volunt; quæ verò qua ratione in criminibus atrocibus, ut est

Sodo-

Sodomia, adulterium &c. quæ & ipsa inter causas mixtas referri solent, ut videre licet apud Sig. Scacciam *de iud. lib. 1. c. 12. n. 15. seq.* exculari commodè queat eo casu, quo iudex Ecclesiasticus de illis cognitionem occupaverit, haud apparet. Pœnâ sanè corporali necesse est, ut crimina ista excipientur, sed quæ decerni haud potest in iudicio Ecclesiastico. Sic & inter civiles causas mixti fori esse dicuntur omnes illæ, quæ inter personas miserabiles, quales sunt pupilli, viduæ, pauperes &c. agitantur. Actiones enim harum personarum in Episcopali iudicio adversus Laicos quoscunque intentari posse statuunt. Planè ad æmulationem juris Imperatorii, *l. un. C. quand. Imp. inter pup.* Nec varò apta satis dari poterit ratio, propter quam causæ totales ad iudicium Ecclesiasticum trahi debeant, præsertim si seorsim de illis, nullâ propter matrimonium intentatâ lite, disceptandum fuerit, quod ita constituit Innocentius III. *lib. 3. epist. 148.* Per hanc igitur mixti fori constitutionem ampliata admodum fuit iurisdictio Episcoporum.

CXI. Accessit verò adhuc aliud augmentum ex eo, si quando iudex secularis propter desidiam & negligentiam juri dicundo vacare nolit, aut per eum iustitia obtineri nequeat, uti loquitur Innocentius III. *c. 11. §. de for. comp.* Tum enim volunt causam quamcunque secularem inter personas utrinque Laicas iudicis Ecclesiastici cognitioni cedere, & posse adeò Episcopum tales causas ad suum forum trahere. Id verò utrum ante Innocentium III. obtinuerit unquam, subdubito. Fuit ille dominationi Antichristianæ amplificandæ studiosissimus, cætera super omnes mortales ambitiosus & superbus, pecuniæque sititor insatiabilis, & ad omnia scelera pro præmiis datis vel promissis cereus & proclivis uti eum describit Matthæus Paris *hist. ann. MCCXIII.* Isque uti simul jurisconsultissimus fuit, ita perpetuo operam dedit, ut iudiciorum Ecclesiasticorum auctoritatem eveheret magis magisque, & ampliorem faceret. Et hâc ratione facilè potuit iudex aliquis negligentia & denegatæ iustitiæ argui eum in finem, ut causa deinceps in foro Ecclesiastico ventilaretur. Et ut maximè culpâ hac vacet iudex secularis, quis erit, qui eum excusatum reddet, quive munus hoc ei salvum faciet, si Episcopus id nolit?

CXII. Alias artes, quibus iudicia episcopalia nova quotidie acceperunt incrementa, consultò prætereo. Nonnullas perstrinxerunt Principes Germaniæ in supra adductis gravaminibus *sub num. 9. 10. 11.* & adhuc alias Antonius Mornacius *ad l. 8. Cod. de Episcopali. audient.* Nec verò invideri posset Episcopis, si quis inter eos facultate iudicandi præditus fuerit, ut publico nomine manus istud sustineat. Propter dignitatem enim & officium, quod gerit ut Episcopus, nullam iurisditionem competere supra abunde probavimus. Sed quia talia occurrunt sæpè in iudiciis de rebus

temporalibus, quæ abesse mallent homines seculares, rectius meo iudicio prorsus abstinerent Episcopi. Sed & absurdum esse dicit Imperator, clericis, imò etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationem forensium, l. 41. c. de Episc. & Cler. Ipse fori strepitus, & fucata Advocatorum verba, tum & horridæ præconum voces & crebræ apparitorum interpellationes parum videntur convenire auribus Episcoporum. Ut taceam, quæ sæpè corruptelæ præter, imò contra intentionem iudicis, sese exferere soleant. L. Pisonis liberam vocem & factum laudat Corn. Tacitus lib. 2. *annal.* quod ambitum fori, corrupta iudicia, sævitiam oratorum, accusationes minitantium increpans abire se, & cedere Urbe, victurum in aliquo abdito & longinquo rure testatus fuerit, simul curiam reliquerit. Multo verò potior & sanctior videtur mihi dignitas atque officium Episcopi, quam ut ei se muneri applicare debeat, quod tam variis non periculis tantum atque corruptelis, sed etiam censuris expositum est, cuive insultare solent certatim & promiscuè omnes.

CXIII. Causæ autem criminales, etsi clericos concernant, iudiciis Episcopalibus utpote insufficientibus committi haud possunt, præsertim si hypotheses, quæ sequioribus temporibus invaluerunt, attendatur. Dum enim exemptionem Clericorum tam exsortem esse volunt, ut cujuscunque is ordinis fuerit, propter nullum omnino crimen, etsi deprehensus in eo sit, à nullo iudice Laico, quantacunque is dignitate excellat, iudicari queat, solo excepto casu, quando Clericus delinquens post indictos universos poenarum Ecclesiasticarum gradus incorrigibilis existit, quæ est sententia Cælestini III. c. 10. *de Judic.* an putabimus dignè & pro meritis puniri posse crimina in iudiciis Ecclesiasticis? Audiamus ab ipso Cælestino poenarum species & gradus in talibus iudiciis usitatas: *Respondemus, inquit, quod si clericus in quocunque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime atque convictus ab Ecclesiastico iudice deponendus est. Qui, si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumaciâ crescente anathematis mucrone feriri, postmodum verò si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia NON HABEAT ULTRA, QUID FACIAT, ne possit esse ultra perditio plurimorum per secularem comprehendendus est, potestatem, ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima poena inferatur.* Et debet tamen nihilominus hoc casu efficaciter intercedere Ecclesia, ut citra mortis periculum sententia temperetur c. 27. *de V. S.* efficaciter, inquam, h. e. sine furo & simulatione, uti explicat Claudius Elpenæus l. 2. digress. c. 7.

CXIV. Degradationi autem illi, & ut propter incorrigibilitatem clericus tradi queat brachio seculari, non faciunt locum promiscuè, sed in tribus tantum casibus specialibus, sicubi scil. quis in crimine hæreseos per-

timax

tinax aut relapsus fuerit, aut si falsum commiserit in literis Apostolicis, aut si conjuraverit in proprium Episcopum. Quâ de re tamen multa adhuc lis est inter Canonici juris Doctores, propter adductum c. 10. Mox enim disquiri cœpit, utrum etiam extra illos tres casus enumeratos iu criminibus illis, de quibus fuerat interrogatus Cœlestinus, tradi debeat delinquens curiæ seculari? utrum in tribus etiam illis attendi debeat incorrigibilitas? utrum in casu incorrigibilitatis etiam degradatio necessaria sit? utrum propter crimen valdè damnosum & Reip. perniciosum tradi nequeat Clericus iudicio seculari, nisi incorrigibilitas accesserit? Incorrigibilitas utrum ex eodem genere delicti, an verò etiam ex diversis speciebus æstimanda sit? Ut incorrigibilis aliquis dicatur, utrum requiratur sententia iudicis declaratoria? utrum non nisi per degradationem amittatur privilegium clericale? & ejusmodi alia plura, uti videre licet apud Didac. Covarruv. *pract. quest. c. 32. n. 2.* Stephan. de Avila *de censur. part. 4. dub. 3.* Joseph. Gibalin. *de censur. disq. 7. q. 13.* Aug. Barbolam *ad c. 10. §. de judic. Sig. Scacc. de judic. lib. 1. cap. 11.*

CXV. Quocunque te vertas inter istas hypothèses, videbis clericos assequi impunitatem scelerum, & prorsus effugere pœnas promeritas. Ecce enim Laico nec accusare licet clericum, c. clericum 11. q. 1. neque condemnare, aut saltem in custodiâ detinere, nisi velit excommunicationis vinculo innodari, c. nullus 2. §. de for. comp. c. nuper 29. §. de sentent. excomm. Ecclesiasticus autem iudex nullam talem pœnam crimini quantumvis atrocissimo indicere potest, quæ sufficere queat, cum tota puniendi potestas, quæ in eo est, absolvatur suspensionibus, remotionibus, excommunicationibus, carceribus, nec habet Ecclesia ultra quod faciat. Brachii verò secularis auxilium in tribus tantùm supra enumeratis delictorum speciebus poscitur. Quomodo ergò punientur sicarii, incendiarii, latrones, incestuosi, Sodomitæ, parricidæ, conspiratores adversus Reges, rebelles, & everfores Rerumpublicarum? Respondet Innocentius III. c. 6. §. de pœn. quod à suis ordinibus degradati detrudi debeant in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam. **BONUM FACTUM.** Quis non putabit satis ita expiari crimina, & noxiæ hanc pœnam parem esse? Quis non velit metu hujus pœnæ abstinere deinceps à tali facinore? Nec Jupiter quidem iratus plus exiget, opinor.

CXVI. At verò fiet hâc ratione, ut, quod observat Nicolaus Boërius *decis. 69. n. 9.* inde in plebem scandalum oriatur, *videre scil. clericum & Laicum pro enormissimo delicto commisso diversimode condemnari: laicum per frustra scindi & dilaniari, & clericum pro eodem delicto in carcere poni perpetuo & ab eo amore, vel pecunia vel aliter elargiri & liberari.* Boërium sequitur Julius Clarus *sentent. lib. 5. §. pract. crim. qu. 36. n. 23.* his verbis: *Revera vide-*

videmus, quod prelati Clericos criminosos ut plurimum leviter castigant, & licet quandoque eos ad perpetuos carceres condemnent, tamen illos postea relaxant plerumque ac dimittunt, ex quo oritur in populo scandalum, videre clericum & Laicum ejusdem delicti reos adeo diversimode puniri, ut scilicet Laicus pœnâ mortis afficiatur & in frustra scindatur, clericus autem aliquâ levi pœnâ castigatus per forum ambulet. Et qui verò fieri aliter potest? Magistratus namque cui merum imperium competit, pollet facultate puniendi quoscumque facinorosos, sed non debet, si delinquens fuerit clericus. Judex verò Ecclesiasticus debet talem punire, sed non potest, nisi leniter admodum & nullatenus pro merito, quia judicium sanguinis exercere, imò interesse tantum eidem, aut adjuvare & promovere illud omnino prohibetur. Quid restat ergò, nisi ut impune & pro lubitu à clericis perpetrentur crimina atrocissima?

CXVII. Temperare mihi nequeo, quin hîc adscribam verba Gulielmi Neubrigensis lib. 2. rer. Angl. c. 16. Regi circa curam regni satagenti, & malefactores sine delectu exterminari jubenti, à judicibus intimatum est, quod multa contra disciplinam publicam scilicet furta, rapinae, homicidia à Clericis sæpius committerentur, ad quos scilicet Laice non posset jurisdictionis vigor extendi. Denique ipso audiente declaratum dicitur, plusquam centum homicidia intra fines Angliæ à Clericis sub regno ejus commissa. Et post pauca: Cùm enim sacri præcipiunt canones, clericos non solum facinorosos, id est, gravioribus hæreticos criminibus, verum etiam leviorum criminum reos degradari & tot milia talium, tanquam innumeras inter pauca granapaleas Ecclesia Anglica contineat: quantos à multis retrò annis clericos in Angliâ contigit officio privari? Nempe Episcopi dum defendendis magis clericorum libertatibus vel dignitatibus, quàm eorum vitis corrigendis rescandisq; invigilant, arbitrantur, obsequium se præstare DEO & Ecclesie, si facinorosos clericos, quos pro officii debito canonice vigore censura coercere vel nolunt vel negligunt, contra publicam tueantur disciplinam. Unde Clerici, qui in sortem Domini vocati tanquam stelle in firmamento cœli posite vita & verbo lucere deberent super terram, habentes per impunitatem agendi quodcumque libuerit, licentiam & libertatem, neq; DEUM, cujus judicium tardare videtur, neq; homines potestatem habentes reverentur, cùm & Episcopalis circa eos sollicitudo sit languida & seculari eos jurisdictioni sacri eximat Ordinis prærogativa &c.

CXVIII. Jamdiu verò etiam hoc observatum fuit, non permissas fuisse judiciis Laicorum tres istas criminum species, quarum supra fecimus mentionem, nisi essent tales, ut per eas violari contingeret dignitatem Ecclesie Romanæ. Ea ergò ut salva maneat, à Magistratu auxilium poscitur, qui verò non tam ut judex accersitur, quam ut vindex & auxiliator. In aliis verò criminibus, quantumvis atrocissimis, quæ dignitatem Ecclesiasticam non attingunt, nefas esse statuunt Magistratui, quicquam decernere.

Ergò

Ergo si clericus adulteraverit moneta, si Regis latus sicâ appetierit, si incendiarius fuerit, si veneficus, si occulta habuerit cum hostibus consilia, nefas erit Principi injicere manus in eum, & pro salute atque incolumitate Reip. conservandâ eum pœnis subicere. Judex verò Ecclesiasticus post remotionem ab officio eum ex decreto Innocentii in arctum monasterium conjiciet. Imò verò benignior adhuc fuit Alexander III. qui c. 4. *de judic.* in criminibus atrocioribus clericum solâ suspensione aut remotione puniendum statuit, in levioribus verò dispensationi locum facit. Si coram Episcopo, inquit, *de criminibus injure confessi sunt, seu legitimâ probatione convicti, dummodo sint talia crimina, propter quæ suspendi debeant vel deponi, non immeritò suspendendi sunt à suis ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuo removendi.* De adulteriis verò & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus, (cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) judici tradere seculari. Adulterium inter minora refert crimina, contra literam S. Scripturæ, & contra mentem moratorum gentium, quod eruditè perstringit Antonius Matthæus *de criminib. in prolegom. cap. 4. n. 4.* Elegans verò etiam est ista ratio, ideò non debere remotum ab officio judici tradi seculari, ne duplici pœnâ reus afficiatur. Cur verò tradendi nonnulli alii, quos ab officio remotos eadem prorsus ratio absolvit?

CXIX. Cæterùm valde perniciosam esse Rebuspubl. omnimodam istam Clericorum exemptionem, jamdudum observarunt illi, qui de conservatione civitatis curam suscepérunt. Res periculi plena est, vivere personas quasdam intra quendam statum, non subjectas statûs istius legibus, exemptas ab omni politiâ & disciplinâ temporali, sine obligatione fidelitatis erga principem, sine obedientiâ erga magistratum: denique corpus statûs intra aliud constitutum quid aliud sperare faciet, quam divisionem atque divulsionem potestatum, ac certam tandem everfionem. Unde & factum, quod aliquando per longas ætates unum penè ac solum in universâ Galliâ eminuerit forum Ecclesiasticum, evilueritque toto illo tempore quasque emarcuerit jurisdictio regia, uti conqueritur Antonius Mornacius *ad d. l. 8. C. de Episc. aud.* Habeant enim verò Episcopi & clerici res suas spirituales ab ipso Salvatore Christo sibi commendatas seorsim, & officio suo fungantur, quousque istud curam animarum attingit, meminisse tamen simul debent, duabus simul qualitatibus se affectos esse, duosque respectus in suis personis concurrere, unum naturalem, ut hominum & civium alicujus statûs, alterum accidentalem, ut sunt in ordine & officio Ecclesiastico, adeo ut etfi quoad hoc officium non per omnia subjecti sint potestatibus civilibus, & hæcenus exemptione suâ gaudeant; quatenus tamen

T t t t

homi-

homines & cives sunt alicujus status, partem in eo facientes, Principis in se imperium agnoscere tenentur.

CXX. Sub finem hujus capituli etiam istud notandum erit, in judiciis Ecclesiasticis non alium observatum olim fuisse processus ordinem, quam qui jure civili prescriptus fuit. Idque non constat tantum ex *novell. 79. cap. 1.* ubi disertè ait Justinianus: *Idonei sunt DEO amabiles Episcopi civitatum singularum, & que de lite sunt, & de cautela judiciorum, disponere & judicare honestè atque sacerdot aliter, & secundum leges nostras & sacratissimas regulas &c.* Sed etiam ex praxi variorum temporum. Jure civili in criminali causâ non facilè admittitur nomen rei procurator, *l. 13. §. 1. ff. de publ. jud.* Observatum id etiam fuit in Concilio Constantinopolitano anno *CCCCXLVIII.* cujus acta continentur *act. 1. Concilii Chalcedonensis.* In illâ Synodo damnatus erat Eutyches Archimandrita, qui cum contendisset deinceps, acta ejusdem Synodi corrupta fuisse, facilè revisionem eorum impetraverat à Theodosio. Cum vero ipse presens huic negotio esse nollet, & procuratorem misisset Constantinum monachum, noluit eum admittere Synodus, sed voluit observari, id quod jure civili constitutum erat, nisi aliud placuisset Imperatori. Sub hac enim limitatione suffragium suum interposuit Meliphthongus Julipolitanorum Episcopus *act. 1. p. m. 30. vol. 2. Concil.* Tali factâ accusatione consequens est, adesse eum, qui accusatur, presertim, quia hujusmodi accusationes non sine periculo fiunt. Nec enim leve est ac transitorium, quod vertitur & idè alterum pro altero decertare non licet. Quoniam igitur piissimus Imperator ex avitâ traditione consuevit orthodoxam continere fidem, & in nullo sanctas regulas irrumperere, postulamus ejus referri clementiæ. Et si jusserit criminali causâ alterum pro altero decertare, & hoc suscipimus &c.

CXXI. Ita porro exemplo Jurisprudentiæ civilis, quæ promiscuè quosvis ad accusationes instituendas admittere noluit, plurimos etiam excludit jus canonicum. Uei patet ex *can. 129. Cod. Canon. Eccles. African.* Item placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur; vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiae maculis adspersi, i. e. histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, heretici etiam sive pagani, seu Judæi; sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda. Pariter etiam circa testes, quod jure civili constitutum est, approbavit & recepit jus Canonicum. Sic enim pergunt Patres Africani *can. 131.* Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti precepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem intra annos 12. ætatis suæ non admittantur.